LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

KÖNIGLICHES GYMNASIUM

zu

MESERITZ.

Ostern 1888.

Inhalt:

1. De homine Homerico scripsit Dr. Arthur [redacted]
2. Bericht des Direktors über das Schuljahr 1887—88.

Meseritz.
Buchdruckerei von P. Matthias.
1888.

1888. Progr. Nr. 146.

De homine Homerico.

Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.
Horat.

Quod scriptum legimus apud Platonem,[1]) naturam humanam constare mente, animo, cupiditate, nemo prudens putaverit, a summo philosopho negatum esse, hominem semper unum eundemque esse quidquam vel agentem vel dicentem. Etenim si quis ad cognoscendam arborem bene distinxerit eius et truncum et ramos et folia et radicem, is non reprehendendus sit, quod particulis tantum tribuerit, quantum non deceat. Omnis igitur disputatio fert, ut quidquid natura totum et integrum sit, a philosopho quasi divellatur et tamquam in membra discerpatur.[2]) Quod quum ita sit, nescio an quo quis graviorem tractet rem, eo magis timendum sit, ne paucis satisfaciat. Neque enim omnis vel partitio vel divisio tam simplex videtur esse nec tam accommodata ad rem ipsam explicandam quam in arbore dispertienda, sed ut quaeque res difficillima est intellectu ac tamquam plurimas dat ansas, quibus reconditam eius vim ac naturam tenere possimus, ita maximae inveniuntur dissensiones in eius partibus vel genere vel numero constituendis saepissimeque fit, ut quod principium divisionis aliis probetur, aliis displiceat. An putamus, propter aliam causam nulli adhuc philosopho contigisse, ut non dicam omnibus, sed multis persuadeat, vera esse, quae docuerit? Nec vero mirum est, quod idem fatum carmina Homerica habuerunt, quippe de quibus qui scripserunt proxime mihi videantur ad similitudinem eorum accedere, qui de natura rerum scripserunt: adeo ipsi quoque ingentem materiam exhaurire non potuerunt, adeo non pares fuerunt vel summo in distinguendis aut personis aut locis aut temporibus aut animi ingeniique facultatibus acumine summae rerum proponendae. Quorsus hoc? Ut intellegatur, quid causae sit, cur ne homo Homericus quidem quid senserit, quid voluerit, quid maxime expetendum putaverit, satis perspectum habeamus. Quamquam de singulis eius virtutibus, vitiis, moribus, institutis viri docti non inter se dissentiunt, attamen haec omnia non ita reduxerunt ad humanam naturam, ut non operae pretium mihi videatur, eam rem retractare, non quo tantos mihi sumam spiritus, ut sperem, fore, ut a me id argumentum perficiatur ac persolvatur, quod viri multi iique doctissimi non potuerunt absolvere, sed quia novam aliquam rationem ac viam sequi mihi posse videor, quam secutus est nemo adhuc. Nam qui ante me diligentius in hanc rem inquisiverunt, ne maturius quam par esset rerum varietates minuerent, praeter necessitatem ea, quae ad hominem Homericum cognoscendum pertinerent, multiplicaverunt neque ad simplicitatem humanae naturae rettulerunt, id quod nisi omisissent constat futurum fuisse, ut paucas quasdam leges constituerent, quibus singula continerentur. Ac mihi quidem non dubium est, quin

voluntate homo Homericus dirigendus sit. Quo fit, ut quisquis de eo recte iudicare et ipse vult et alii ut possint facere, ei quaerendum sit, quid homo Homericus voluerit. Ecce autem Sallustius confirmare videtur, voluntate explananda explanari et aperiri naturam humanam, quum dicit, idem velle atque idem nolle, eam esse veram amicitiam.[3]) Quid ita? Quia amicitiam aut ullam esse posse aut certam negat, nisi amicus amicum adiuvet ad consequenda ea, quae maxime expetenda putet; quod autem plurimi quisque aestimet ideoque velit, eo naturam eius explicari; ergo ex similitudine morum natura constituta veram amicitiam proficisci. At vero non potest fieri, ut quisquam velit, quod non aut sensu perceperit aut mente intellexerit. Quis negat? Sed non magis quod quisque vult e sensu aut cogitatione pendet quam quod sentit aut cogitat in voluntate positum est. Neque enim ita generati a natura sumus, ut rem ullam dignam existimemus, cui studeamus, qua non aliquo modo delectemur atque omne animal et fugit, quod sibi nocere, et appetit, quod sibi prodesse sensit. Quid? iucunda vel optabilia quae nobis videntur nonne adeo mentem quasi praeoccupatam et praeceptam tenent, ut quod quisque maxime expetendum esse putet, aut esse aut futura esse speret?[4]) Ii, qui nunc sunt, qui a pueris assueverunt et didicerunt in potestate mentis esse et rationi parere, nonnunquam ita praeiudicata opinione capti sunt, ut prava cogitatione cogantur falsum putare: hominem Homericum, cuius nondum mentem longinquum et acre studium literarum acuerat, cuius nondum animus a simplicitate naturae degeneraverat, putamus potuisse in omnibus rebus perpendendis quid verum esset, quid falsum, subtiliter diiudicare? Sed nimis multa; perspicuum est enim, hominem Homericum, quum longissime ab ea subtilitate absit, quam viri docti non possunt non adhibere vel in disputationibus habendis vel in conscribendis commentationibus, semper in vita omnes ad partes conformanda ita se gerere, ut quae senserit et quae cogitaverit non possint discerni ab iis, quae voluerit. Quare quidquid de natura deorum iudicat, quidquid de humano animo cogitandum esse putat, non tam docet ita, ut nihil spectet nisi veritatem ipsam, quam ad eas res revocat, quas maxime expetendas esse existimat. Hinc illa ingenuitas, hinc illa simplicitas, quibus qui praediti sunt ab omni simulatione et dissimulatione alieni videntur esse, nisi vero Ulixem alio fuisse animo credis, quod Polyphemo ex eo nomen percontanti sibi Nemini esse nomen responderit. Huc accedit, quod homo Homericus, id quod commune habere mihi videtur cum poëta, nunquam a sensibus mentem sevocare consuevit, quod, quae non cadunt sub sensum, omnino nulla esse putat; ex quo fit, ut Homerus neminem unquam induxerit philosophantem; nam philosophus quum nihil antiquius habeat, quam ut acie mentis a consuetudine oculorum abducta ideas cogitatione abstrahat a singularibus rebus, dissimillimus est existimandus hominis Homerici. Sed ut ea res non impedimento est, quin Homerus per imagines adumbret et depingat eadem, quae postea philosophi suo more explicaverunt,[5]) ita philosophiae instar homini Homerico est tamquam quaedam scientia maximarum rerum ad vulgarem popularemque sensum accommodata. Nec solum loco philosophiae habuerunt homines Homerici doctrinam et rationem rerum divinarum sacrarumque, sed etiam quae philosophia versatur in actione, ea idcirco non caruerunt, quod aliquot praecepta non desierunt tradere, quae qui observant, iustitiam et alias virtutes colunt. Videlicet quisquis non sine aliqua constantia ad easdem sententias revocat, quae ad vitam instituendam pertinent, si minus ipse est philosophus, at certe philosopho idoneus videtur esse, a quo philosophia aut doctrina saltem aliqua repetatur.

Iuvat igitur de homine Homerico ita scribere, ut primum exponamus, quid de rerum natura senserit, tum quid maxime expetendum vel summum bonum esse existimaverit, id est, quid voluerit, post quid sit causae, cur homo Homericus aliqua ex parte vel iis, qui nunc sunt, exemplum ad imitandum proponendus sit.

Ac primum quidem rerum naturam consideremus, quam quidem homo Homericus cognoverit. Qua in re exponenda caveamus, ne ea quae homo Homericus sibi visus est scire, ad artem ullam aut doctrinam ab eo redacta esse opinemur. Nam licet illud genus hominum haud ita rude fuerit artium liberalium, in quibus numeranda sunt saltatio et carmina, quae in epulis et Phaeacum et procorum Penelopes canuntur, tamen literae illa aetate animum liberi hominis capere nondum potuerunt. Quid? quorum ea indoles erat, ut non persuasum haberent, praeclarum esse natura, literis totum se dare, num ii existimandi sunt versati esse in certo quodam literarum genere? Itaque fieri non potuit, quin neque omnia literarum genera animo complecterentur neque ea arcto quodam vinculo inter se copulata esse crederent. Neque vero in terrae partibus describendis neque in siderum motibus demonstrandis neque in rebus gestis enarrandis fide dignus videtur esse Homerus. Quamquam quid opus est plura de hac re dicere? Poëtarum scilicet auctoritas non ea est, quae in doctrinae studio valeat. Quid literarum inventio, quae Phoenicum propria esse dicitur, effecit? Nempe ut quum multae res, tum ea, quae a viris doctis investigata et indagata erant, posteris traderentur. At vero homo Homericus quum neque hoc onus gravius Aetna sustentaret neque ipse scribere posset, tantum didicit, quantum memoria tenere potuit. Quare neque id studium literarum, quod ad peritiam linguarum pertinet, arripuit nec grammaticam nec arithmeticam discere studuit. Immo vero id egit, ut eas res perspectas et cognitas haberet, quae facile transferrentur in usum vitae, ex quibus se aliquam utilitatem capturum esse putaret. Quod ita esse, documento est, quod nullius artis Homerus ipse tam peritus videtur esse, quam eius, quae versatur in corporibus mortuorum secandis.

Quibus rebus expositis satis docuisse videor, quam apud Homerum scientiam vel doctrinam intellegendam esse putemus. Nunc veniamus ad eum locum explanandum, quem sunt qui negent ullius momenti esse ad hominem Homericum cognoscendum. Infitias enim eunt, quum ne nominis quidem naturae ab Homero mentio facta sit, (eo loco,[6]) quo poëta Mercurium φύσιν cuiusdam herbulae demonstrantem ad Ulixem liberandum a Circe ei insidias struente facit, alia vis huic voci subiecta est) rem, quam hac voce significemus, in hominem Homericum cadere. At ego quidem non affirmo, hominem Homericum eandem interpretatum esse naturam quam nos, sed quaero, num apud Homerum simile quiddam habeant homines naturae. In quo nemo dubitet dicere, nunquam naturam ipsam ab homine Homerico aut adoratam aut numinis loco habitam aut divino honore affectam esse. Quamquam non desunt quaedam vestigia apud Homerum,[7]) quibus apparet, religionem Graecorum profectam esse ab ea opinione qua qui imbuti essent vel oceanum ipsum vel terram crederent esse divina numina, attamen si quis putet eorum rationem, quibus placeat, naturam esse deum, confirmandam esse religione hominis Homerici, magnopere is erraverit.

Nec modo non per se divinam esse naturam homo Homericus credidit, sed ne aptam quidem existimavit, quam aut diligenter observaret aut describeret et explanaret. Itaque quas F. Preller optime pinxit tabulas ad Odysseam illustrandam minime ita fecit, ut poëtam ducem vel in arboribus apte collocandis vel in floribus sociandis sequeretur: adeo nescio quo pacto necopinantibus laetitiam quandam obiecit praeclarissimus pictor illas tabulas proponens. Nam qui eas spectat, fieri vix potuisse putat, ut res a pictore ante oculos positas Homerus dicendo exprimeret. Qui poëta amoenitatis locorum ipse tam neglegens videtur esse, ut non descendat ad eiusmodi descriptiones, nisi ut demonstret, quomodo adspectu aliquo homo ad aliquid agendum aut commoveatur aut impediatur. Quis est, cui non ante oculos versetur insula Calypsus, qua nihil potest esse amoenius?[8]) Quid? videsne, ut poëta dicat idcirco, quo magis intellegatur, quanto Ulixes desiderio asperae et lapidosae patriae commotus sit, Ogygiam tam ornatam esse et tot deverticula ad quiescendum offerre proceritatibus

arborum, pellucidatibus fontium, odoribus florum, cantibus avium, ut ne deos quidem paeniteret, illo loco commorari? Atque Homerus quod Olympum[9]) nec pruinis nivibusque onerari nec tempestatibus concuti, sed nubibus vacua coeli serenitate circumdari admonet, id agit, ut quam facillimam et mollissimam deorum vitam et quam longissime remotam a conditione humana putemus. Hic quaerat quispiam: nonne Homerus plerumque lucem rebus per se parum perspicuis ita offundit, ut eas comparet cum natura? At ego respondeo, Homerum similibus utentem sic ut qui maxime non ipsam naturam, sed ea, quae ab homine agantur, eo magis explicare et declarare, quod peritissimum se praestet earum rerum, quae ad vitam vel bestiarum[10]) vel plantarum pertineant. Non igitur leonis[11]) in greges pecudum irrumpentis ferociam demonstrat, non sitim[12]) luporum cruentas linguas aqua fontis imbuentium, non fugam cervorum[13]) a venatoribus e latebris silvarum extrusorum, non aprum[14]) morsus canium vitantem et ex latere eos icentem, nisi ut doceat, quomodo homines inter se certent ritu bestiarum, atque etiam papaverum[15]) summa capita et palmarum[16]) gracilitatem commemorat, non quo eiusmodi exemplis naturae vel pulchritudinem vel formositatem vel admirabilitatem comprobet, sed quia ostendit, similem esse iuvenem in proelio cadentem decusso papaveri et virginis staturam palmae. Mitto quaerere de epithetis ornantibus, quae vocantur, quibus constat Homerum utentem semel providisse, ne aberraret ab eo, quod maximum esset. Similia quidem quod in Iliade ducenta quinquaginta quattuor circiter, in Odyssea non plus quinquaginta duo reperiuntur, argumento mihi esse videtur, poëtam id egisse, ne quis taedio aut satietate proeliorum aliorum ex aliis ab Achivis Troiam oppugnantibus commissorum caperetur, nisi varietate rerum per similia diffusa delectaretur.

At sunt, qui putent, eam animi tranquillitatem, quam propriam esse quum epici poëtae[17]) tum maxime Homeri viri docti suo iure dixerunt, esse nullam posse, nisi poëta rerum causas ita cognitas habeat, ut naturae quasi concentum atque consensum percipiat. Sed haec animi tranquillitas non est, cur non in iis potissimum sit, qui secum sunt atque, ut dicitur, secum vivunt, ita, ut ea non tam redundet ad animum de cognitione rerum externarum quam ut donum et munus naturae sit, quo nihil potest esse praeclarius. Nam eorum ingenia, quibus nihil opis est ad poëma epicum faciendum in bona indole, qui potest fieri,. ut eam hilaritatem et suavitatem, quae, qui Homerum legunt, delectant, petant a rebus externis? Homerum igitur caecum fuisse, quamquam falsum existimandum est, tamen vix potuit credi, nisi suo iure existimavissent, poëtam plus valere ingenio quam oculis.

Quod quum ita se habeat, ut homo Homericus — in ea autem re demonstranda ego quidem negaverim ab Homero ipso multum differre hominem Homericum — quaecunque adspectu sentiuntur, ex animi sui sensu iudicet, non alienum videtur esse proponere, hominem Homericum, etiamsi legem naturae non eam interpretaretur, quam philosophi, tamen sibi visum esse propter nonnullas res una contineri et eadem lege naturae. Ac nemo dubitaverit, quin homo Homericus sic cogitaverit de morte et de senectute, id quod vel ex ipsis epithetis ornantibus intellegendum est, quibus non semel et mortem[18]) et senectutem[19]) significat; ὁμοΐϊον enim, non ὅμοιον id est, quod omnibus hominibus commune est. Praeterea sunt quaedam deae, quae minus variae et mutabiles videntur esse quam deae, ut ita dicam, maiorum gentium. Quas deas intellegendas esse nemo est quin videat nymphas, in quarum numina translatae sunt amoenitates locorum.[20]) Et vero nymphae ab illa simplicitate et ingenuitate naturae eo minus abhorrent, quod non tam penitus se induunt et impediunt in res humanas quam Minervae et Iunones. Sed nymphae quum nusquam versentur nisi in lucis atque in montibus, quum nihil efficiant, nisi ut fontes aqua frigida hominem ardore defatigatum recreent et

ut arbores viatorem floribus oblectent, reficiant umbra, non tantum valent, ut iis dominantibus locus sit administrationi rerum vel mundi et ut in eorum regno quasi constantia naturae possit consistere.

Verumenimvero tantum aberat, ut homo Homericus naturam eam esse crederet, per quam staret, quominus quidquam fieri posset, nisi causa antecedente, ut contra in res natura constitutas libere et sua voluntate deos se intermittentes faceret. Multis exemplis confirmare possum, quanto superiores sint dii natura, miracula quaedam edentes, sed ne longus sim, admoneo vos hoc unum, Minervam non prius quam Ulixes, qui, postquam vicesimo anno domum reverterat, a procis Penelopes poenas repetiisset, ut confectus laboribus erat, satis una cum uxore dormivisset, Auroram ex oceano arcessitam iussisse mortalibus lucem afferre.[21]) Quare quum natura esset ex se ipsa iudicanda, non ex animo humano, homo Homericus, utpote qui omnes res sua voluptate, suo odio, suo amore, suis cupiditatibus, sua voluntate, suis optationibus dirigere soleret, non potuit eam existimare naturam, ad quam mente et cogitatione comprehendendam abstrahendi quae dicitur vi opus erat. Ac quemadmodum deus unus idemque infinitus ab hominibus illius aetatis animo non conceptus est, quod in eo genere, ut ait Spinoza,[22]) omnis determinatio est negatio, item satis firme conceptam animo comprehensamque non habuerunt naturam, quod nemo eius notionem cogitatione finget, nisi avocaverit mentem a singulis ad universa.

Itaque homo Homericus quoniam non potuit facere, quin omnia sensibus perciperet, mundum, quem Graeci κόσμον vocant, ita descripsit, ut uno in conspectu eum videre posset. Etenim ei videtur esse mundus quasi communis deorum atque hominum domus, cuius sunt tamquam tres contabulationes. Atque earum contabulationum supremam dii Olympii domicilium habent, mediam id est terram homines et ea numina, quae mare tenent, ut non dicam de nymphis et aliis diis minorum gentium, tertiam Pluto cum aliis diis inferis habitat. Quae opinio tam divulgata est et tam late serpsit, ut ea tamquam fundamento ille poëta, quo maiorem media aetas tulit neminem, niteretur in poëmate faciendo, quod inscriptum est divina comoedia. Nec vero solum mundi tam minutam et pusillam imaginem homo Homericus animo finxit, sed etiam terrae adeo non veram aut magnitudinem aut speciem et formam cognovit, ut eam orbem esse putaret, qui undique ut insula ab oceano circumfunderetur.[23]) Nam ii subtilius mihi et putidius rimati videntur esse quam verius dixisse, qui ex eo, quod Ulixes ad inferos iturus admonitus esset a Tiresia, ne delaberetur a declivitate viae in orcum ferente, demonstrare ausi sunt, haud ita multum abfuisse, ut Homerus sciret, terram esse globum.[24]) Satis mihi multa verba fecisse videor de causa, cur homo Homericus existimandus esset aliter de natura sensisse ac nos. Quid ergo? qui ita naturam ducem sequebantur, ut sibi conscii non essent, se natura ducente vitam agere, ii poterant desiderio quodam commoveri eiusdem naturae, cuius ipsi non dispares erant? qui maximam partem diei sub divo consumebant, ii poterant eo animo esse, ut domo relicta sibi viderentur tamquam e carcere effugisse? qui, quidquid agebant, vel in ora versabantur vel in mari vel in luco vel in agris, ii poterant more doctorum virorum umbratilium naribus admotis ad flosculos odorem eorum explorantes laetitia gestire?

Atque adhuc ea dixi, causa cur homini Homerico non fuisset, quamobrem ipsam naturam adoratione aut veneratione dignam putaret: videamus nunc de opinione deorum. Etenim qua veneratione naturam afficiendam esse homo Homericus non credidit, ea deos affecit. Non igitur solem adorabat,[25]) sed numen, quod in eum beneficium lucis et caloris contulerat, non aquam, sed Neptunum, non ignem, sed Vulcanum, non aëra aut aethera aut coelum, non fulmina tonitruque aut grandines aut imbres, sed Iovem. Nam quidquid a natura profectum ei est aut terrori aut gaudio aut timori, id dicendo exprimere non potest nisi animo fingit quasdam personas, quas ut aliquid agant eodem affectu animi

commoveri putat, quo se commoveri ipse sentit. Quare quum natura delectatus est, non fortuito aut casu id fieri, sed benignitate numinis putat; quum territus est, id in potentiam numinis confert; quum admiratione affectus est, id nisi e sapientia numinis non intellegendum esse credit. Ita factum est, ut eo magis ad religionem atque ad venerationem deorum inclinarent, quod naturalem rationem omnium rerum reddere non poterant, et quae gens religiosissimam omnium mortalium se praestitit, ea propter id ipsum non potuit facere, ut omnia ad quandam necessitatem naturae referret. Et quisquam dubitabit, quin hoc genus hominum aptissimum sit, quod maximam praebeat materiam ad poëma conficiendum? Ut enim quisque ab omni concitatione animi maxime vacat, ita proxime ad similitudinem sapientis hominis accedit ille quidem, sed minime idoneus videtur esse, qui mentes hominum ad misericordiam aut ad timorem revocet. An quisquam putat, Achillem, si iracundiam cohibuisset, eum futurum fuisse, cuius laudes et virtutes caneret Homerus? Sed nescio quo pacto ab eo, quod erat propositum, aberravit oratio. Deos igitur Homerus facit non abhorrentes ab hominum natura eatenus, quoad ei videntur dei et homines iisdem voluptatibus commoveri, ut eas appetant, iisdem doloribus, ut eos declinent. Attamen deorum vis ac natura ab hominibus differt genere,[26]) quod illi sunt beati, hi non item. Omitto omnia epitheta enumerare, quibus Homerum operam dare apparet, ut ostendat, deorum vitam non comparandam esse cum humana:[27]) tantum dico, deos non tam homines perfectos atque absolutos esse quam ultra naturam humanam progredi. Qui enim potest fieri, ut Iuppiter, cuius ipso nutu Olympus concutiatur,[28]) ullius hominis similis habeatur? Nec minus Iuno,[29]) altera manu terram, altera mare capessens, aut Minerva Apolloque,[30]) spectatum Hectoris et Aiacis certamen singulare, cuius committendi auctores exstiterunt, vulturum pares summam fagum ascendentes, extra eum modum prodeunt, qui hominibus tenendus est. Nec tamen ea est natura deorum, ut nihil sit, quod efficere non possint; scilicet quum multi sint dii, non potest fieri, quin alter alteri obsistat ita, ut nonnunquam alii cum aliis coniungantur, quo facilius adversarios vincant. Quare ad servandam Troiam una factio deorum omnibus viribus contendit, ut alteram, quippe quae eam urbem dirutam et deletam velit, superet,[31]) atque Ulixes quin post longos errores domum redeat, Neptunus non potest impedire, etiamsi ei moram afferat.[32]) Neque autem deorum singulorum potestas ita est definita et quasi provincia uni ex iis ita concessa, ut non alii aliorum vicarii esse possint. Quod nisi ita esset, non posset intellegi, quamobrem Ulixes et Aiax Telamonius[33]) missi ad Achillem, cui persuaderent, ut cum Agamemnone in gratiam rediret, Neptunum potissimum precarentur, ut ipsos adiuvaret ad Achillem placandum; nam quod prope mare ad Achillis tentorium profecti sunt, eo non coacti sunt dei marini implorare auxilium.

De diis ipsis inter se de augenda vel minuenda potestate certantibus loquimur. Quid tandem? De fato nonne in mentem venit quantum valeat summum numen, quod homo Homericus μοῖραν vocat, ad cupiditates deorum coërcendas? Ea igitur, quae fato constituta sunt, non modo alii, sed ne Iuppiter quidem evitare aut effugere potest. Etenim quum in eo esset, ut Sarpedonem[34]) filium Iovis Patroclus necaret, Iuppiter quamvis commiseratus filium carissimum moriturum servare non potuit. Iuppiter igitur eo non est superior diis aliis, quod ei liceat contra fatum quidquam facere, sed quia longius in posterum prospicit, quia futuras res ita praevidet, ut iis administrandis praesit. Quam ad rem explicandam nescio an aptissima sit mors Hectoris. Nam mors omnium hominum necessaria est, ex quo facile intellegitur, quamobrem propter hanc ipsam causam homines mortales appellentur et quamobrem αἶσα, μοῖρα, μόρος eandem habeant vim quam mors.[35]) Hector igitur ut diem obiret supremum Achille eum interficiente, non auctor fuit Iuppiter, verum nullius deorum nisi summi tanta erat providentia, ut ei promtum ac paratum esset id instrumentum, quo utens quam

exactissime decerneret, quando Hectori moriendum esset. Itaque quum locum ad fontes situm quartum Achilles et Hector contingerent, Iuppiter ipse disposuit lances[36]) aureae librae et imposuit iis duas mortiferas sortes Achillis et Hectoris atque mediam lancem tenens eas pependit. Tum vero prolapsa est ad inferos Hectoris sors, qua re eum deseruit Apollo. Reputa animo, nullam esse accuratam definitionem nisi vel numerando vel metiendo: iam intelleges, Iovem in fato explorando haud aliter versari ac physicos in natura examinanda. Nec non ut physici nequeunt naturae imperare, id est, vim a natura datam in rem suam convertere et quasi bene collocare, nisi sequantur leges naturae a se cognitas, ita summi dei nulla iam esse potestas videtur, nisi ipse se accommodat ad ea, quae fato fiunt.

En causa, cur recte dici potuerit, ne hominem Homericum quidem plane fugisse necessitatem fatalem, quae si plus valeret, liberiori potestati deorum laxiorem locum non esse. Et vero continet illa necessitas tamquam igniculos et semina eius doctrinae atque eius religionis, ad quas homo Homericus, quae eius erat indoles, aspirare non potuit. Assentiendum igitur est L. Feuerbach affirmanti,[37]) ubi fatalis necessitas regnaret, ibi cedendum esse diis. Nam dii vel deus sine dubio supervacanei sunt, si per se mundum regit et gubernat fatum, id est, ut ait Cicero, ordo seriesque causarum, quum causa causae nexa rem ex se gignat.[38]) Itaque Epicurus deos intermundia habitare opinatur.[39]) Quo factum est, ut ii philosophi, qui in ea necessitate fatali non acquiescebant quippe putantes, omnem eius modi doctrinam de fatali necessitate repugnare rationi, ipsa ea cogitatione necessitatis cogerentur discernere mundum empiricum a mundo intelligibili ita, ut quibus ideis in illo locum non relictum esse, in hoc patere docerent.[40]) L. Feuerbach autem persuasum habet, nullos esse deos, nisi ad optationes hominum revocarentur, qui, simulac intellexissent, omnes res suspensas esse e fatali necessitate, non iam haberent, quod crederent esse deos; neque enim fieri posse, ut quisquam optaret, quod se assequi non posse videret: ubi autem homines desinerent quidquam optare, quid opus esse diis, utpote quorum esset, quae homines vellent, perficere?[41])

Sed de fato hoc loco satis dictum est. Nunc explicabo, cur existimandum sit, e natura deorum Homericorum cognosci naturam hominis Homerici. Quis enim est, qui dubitet, quin, qualem quisque deum habendum esse putet, talis ipse sit? Xenophanes igitur, unus de Eleaticis philosophis, suo iure affirmavit, si leones et boves manus haberent et pingere possent, diis suis eam daturos esse formam, quam ipsi haberent. Nec vero ita esse ideo negandum videtur, quod dii hominibus anteferendi sint propter virtutes et bona, quibus si homines praediti essent, non esset quod deos venerarentur. Quae tandem sunt istae virtutes et ista bona? Iustitiane? At homo Homericus, quum deos precatur, ut iustitia fiat, eo ipso ostendit, se iustitiae amantissimum esse. An sapientia? At quod Iuppiter nominatur εὐρύοπα,[42]) quum homines parum valeant mentis acie,[43]) argumentum est maximum, quo demonstratur, ab hominibus sapientiam plurimi aestimatam esse utpote credentibus, summum deum non posse summae sapientiae non esse. An vita beata, semper idem vultus, serena frons, animi tranquillitas, securitas? At homo Homericus eam felicitatem eamque animi aequitatem, quas ipse in perpetuum assequi non potuit, diis attributas esse voluit, ut contemplatione saltem earum rerum delectaretur, quibus ipse egeret. An immortalitas animi? At quos deos felicissimos esse credidit, eos mortales esse negavit, quod mors si cui quotidie immineret, animum maestitia afficeret, si adesset, finem faceret felicitati.[43]) Dii igitur quamvis potentia et felicitate homines superent, quamvis propter immortalitatem videantur non comparandi cum hominibus, tamen adeo non abhorrent a natura hominum, ut vita deorum tamquam quoddam speculum sit, unde eluceat, quid homines voluerint,

quid maxime expetendum putaverint, quid summum bonum esse crediderint. Quare in Olympo non deesse voluerunt, quaecunque iis iucunda erant, ab eo amoverunt omnem tristitiam et severitatem.[44]) Ex quo fit, ut quam vitae rationem ipsi optimam iudicant, et, si facere possunt, sequuntur, eam a vita et moribus deorum discrepare negent. Num igitur multum interest inter deos nectar ambrosiamque gustantes et homines vino carneque vescentes? Ac quae sunt delectamenta epularum ad gaudium cumulandum, dico citharam et cantus, iis neque dii neque homines carent.[45]) Adde, quod ne deorum quidem, ut ait Homerus, θυμὸς ἐδεύετο δαιτὸς ἐΐσης.[46]) Proportione igitur dii ipsi quoque epulantur, id est, ut dignissimus quisque est, qui honoretur a convivis, ita maxime completur cibo et potione. Iam vero illud videamus, dignitate nec pares esse ceteros deos Iovi nec inter se. Mortales autem tamquam in emerendis stipendiis aemulationis ambitionis, contentionum inimicitiarum aetatem agere nemo est, qui nesciat. Ergo ne hac quidem re dii hominibus dissimiles sunt.[46b.]) Neque enim Neptunus prius dicto audiens fuit Iovi imperanti, ut desineret a partibus Achivorum stare, quam ab Iride commonefactus esset, Iovem non modo superiorem esse robore, sed etiam nobiliore loco natum Neptuno.[47]) Quid? idem iste Neptunus nonne timuit, Achivi quum muro naves circumdedissent, ne de sua Apollinisque gloria capta e muro Laomedonti ab ipso et Apolline aedificato detraherent?[48])

At enim Iuppiter non descendit ad turbam et colluvionem rerum humanarum, sed quum alii dei rebus aut Troianorum aut Achivorum studeant, non modo consilio, sed etiam manu eos adiuvantes ad victoriam reportandam, nullius est partis ipse neque unquam desinit in otio et pace vivere.[49]) Quid ergo? num dubium est, quin homo Homericus non ita se gerentem Iovem animo ficturus fuerit, nisi vitam deorum eiusmodi fortunatissimam esse credidisset? Ego quidem nihil contorti aut coacti mihi videor dicere, affirmans, vitam Iovis contemplativam praeferendam illam quidem activae tamquam exemplar ad imitandum propositum ante oculos obversatam esse Aristoteli et aliis philosophis, quibus persuasum erat, ut ait Cicero, in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare.[50])

Dices: hominum facta sunt referenda ad mores atque ad honestatem, in diis non valet morum conditio.[51]) Fateor, et non sine causa hoc dici videtur: num igitur ex ea re aliud quidquam colligi potest, quam illud, hominem Homericum mente sua assequi nequisse talem virtutem aut talem honesti vim, quales philosophi docent a Deo sanctissimo separari non posse? Concedendum enim est deos Homericos, quamvis non honeste, non recte, non sancte vivant, tamen beatos esse, ex quo intellegitur, hominem Homericum non ita sensisse, ut summum bonum non modo in beata vita, sed etiam in sanctitate vitae ponendum esse putaret.[52]) Itaque si quis Homerici hominis mores metitur virtute illa perfecta et absoluta et quam nemo adhuc mortalium consecutus est — habetur autem a Platone aliisque philosophis, ut non dicam de Christiana doctrina, haec virtus non inanis, sed ea, quae sola, si minus in hac vita, at certe in sempiterna hominem dignum reddat beata vita — non modo deorum, sed etiam hominum Homericorum virtutes ei videntur esse, ut Augustino placet, splendida vitia.

Sed vide, ne multo sit verius, ne deos quidem non teneri quibusdam legibus. Nam ut dii culpae conscientia non vexantur, quamobrem recte dici potuit, in iis non valere morum conditionem, sic quaedam religio est diis cum hominibus communis. Quae religio duabus ex rebus intellegitur, quarum una est, quod dii in semet ipsos religionem recipiunt per Styga aliquid iurantes, altera, quod homines timore deorum deterrentur, ne scelus faciant.[52b]) Iuravit igitur Calypso per Styga,[53]) se nulla iniuria affecturam esse Ulixem domum redeuntem; iuravit per Styga Iuno,[54]) se non effecisse, ut Neptunus Achivis auxilium ferret, iuravit per Styga eadem Iuno,[55]) se Pasitheam,

pulcherrimam Gratiarum, Ὕπνῳ daturam esse nuptum. Atque item homines optantes, ut, si falsum iuraverint, ipsi puniantur, sperant, fore, ut, si homines non valeant ad poenas periurii ab ipsis repetendas, dii graves vindices sceleris exsistant.[52b]) Exsecrationem[52b]) autem credunt eam habere vim, ut dii ab eo, quem ipsi homines pro accepta iniuria ulcisci non possint, poenam sumpturi sint. Telemachus timore Furiarum[56]) matris commotus negat se matrem coacturum esse domum patris relinquere. Et vero Oedipus[57]) a matris eiusdemque coniugis Iocastes Furiis agitatus est pro scelere quod invitus in se admiserat. Incitat in Meleagrum Althaea[58]) mater Furias irascens filio propter fratrem suum ab eo interfectum. Quid? quod adsunt ipsis hospitibus et mendicis Furiae, quas Ulixes precatur,[59]) ut Antinoum supplicio afficiant? Quum in eo esset, ut Menelaus et Paris armis decernerent, uter Helenam et thesaurum haberet, Agamemno[60]) testatus Iovem, Solem, Fluvios Tellurem, inferos deos iuravit videlicet non modo suo et Achivorum, sed etiam Troianorum nomine, eum, qui ab altero victoriam reportasset, Helenam et thesaurum accepturum esse ita, ut non futurum esset, quod longius bellum gereretur. Quamquam haec res eum habet exitum, ut perspicuum sit, deos ne sanctitate iurisiurandi quidem nonnunquam retineri, quin ea perficiant, quae perfecta volunt. Res igitur digna videtur, in quam diligentius inquiramus. Neque enim dubitari potest, quin futurum fuerit, ut Paris a Menelao interficeretur, nisi in tempore Parim Venus a conspectu Menelai abripuisset[61].) Ergo Venus auctor fuit, ut Paris servaretur, quem tamen non modo Achivi,[62]) sed etiam Iuppiter[63]) ipse victum a Menelao esse putaverunt. Quare crederes, deos enixe operam daturos esse, ut res, quam Achivi et Troiani iureiurando sanxissent, perageretur. Hoc autem fieri non potuit, sive quod Iuppiter Thetidi promiserat, se adiuturum esse Troianos ad Achivos vincendos, quo Achillis gloria augeretur — quam grave sit id promissum, ex eo loco[28]) Iliadis apparet, ad quem Phidias praeclaram illam statuam Iovis accommodasse dicitur — sive quod Troiani eo miserabilius perituri erant, quo serius poenam solverunt. Itaque ipso Iove auctore[64]) Minerva, quum Achivi, confisi foedere icto hostes non timendos esse opinarentur, Pandaro persuasit, ut sagittam in Menelaum coniceret, quum diceret, sine dubio illum dona pretiosissima a Paride accepturum esse, si Menelaum necasset. Deinde quum Pandarus temeritate inductus ultra fas telum in corpus Menelai direxisset, Minerva eadem effecit, ut Pandari sagitta Menelai cutis leviter stringeretur. Ita fit, ut ad violandum ius dii ipsi hominem incitent, dummodo ad effectum adducant, quod apud animum constituerunt.[64b]) Nihil igitur quum sit tam sanctum, quod non irritum esse dii iubeant, quippe qui ita res humanas gubernent, ut omnia ad bonum perducant exitum, videntur homines in eo peccare, quod nescientes, bonum esse futurum exitum, a diis ad ius violandum incitantur eo consilio, ut sibi prosint, aliis noceant. Sed cavendum est, ne id ad vivum resecemus neve putemus, hominem Homericum ea tam subtiliter disseruisse, quam philosophos. Nam homo Homericus tantum aberat, ut voluntatem et mentem per se aut malam aut bonam esse putaret, ut contra quae quisque voluisset a factis non secerneret. Neque enim homini Homerico, ut verbis Ciceronis utar, virtus se ipsa contenta esse ad bene beateque viyendum visa est. Qua re illa aetate in aliquo numero erat, quisquis praeclare rebus gestis praeter ceteros florebat. Atqui eorum facta cuncti mortales novere, ut ait Sallustius, [65]) qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt. Ergo qui demissi in obscuro vitam habebant, non tam magni aestimabantur ab homine Homerico quam ei misericordiam commovebant. Sed de hoc alias; nunc redeo ad deos. Quos iniuria non abstinere, eo item demonstratur, quod Minerva non dubitat,[66]) induta Deiphobi specie, Hectorem fallere; quem non putavit ausurum esse cum Achille congredi, nisi dolo commotus esset, ut confideret, sibi pugnanti Deiphobum fratrem adfuturum esse. Quid plura dicam de fraude deorum? Brevi praecidam: dii controversias hominum per omne fas et nefas

componunt. Quod si ita est, dii non magis quam homines, si quid maius obtinere volunt, omni genere maleficiorum supersedent. Nec mirum est, quod homines, qui in rebus gerendis, non in cognitione rerum vitam hominum vitalem posuerunt, deos colebant et venerabantur eos, quos non horrere caedem, non reformidare mendacia aut dolos malos videbant. Eos autem deos iis hominibus simillimos esse quis neget? Cuius modi et diis et hominibus qui superior esse et meliore virtute praeditus sibi videtur, is Homericos et deos et homines ludibrio atque adeo despicatui sibi habeat; qui autem non neglegit replicare memoriam temporum, ut demonstret, esse aliquid sive malum sive bonum in homine, ex quo intellegendum est, eius naturam magis nomine, quam re usque adhuc mutatam esse, is minus se in eo iactaverit, quod mores emendaverit et pravas paganorum cupiditates eiecerit.

Dixi de natura deorum. Nunc dicam de beneficiis ultro citroque datis et acceptis deorum et hominum. Scilicet eo ipso, quod homo Homericus non deum vitam solitariam agentem, sed eos adoravit deos, qui non modo inter se, sed etiam cum hominibus societate morum, ratione vivendi, iisdem virtutibus, iisdem vitiis coniuncti erant, cultus deorum prae se fert speciem quandam hilaritatis et laetitiae ac multum abest a tetrica illa eademque nonnunquam simulata tristitia et morositate, quas omnes omnium aetatum homines fanatici verae pietatis et sincerae religionis signum esse opinanati sunt. Quid? homo Homericus nonne utebatur deorum familiaritate, non cum iis consuevit, non sacris instituendis credidit se diis aliquid pro iis beneficiis, quibus ipse a diis affectus esset, dare posse, non a diis impetravit, ut omine, portento, auspicio res futuras animo prospiceret? Tribus igitur his in rebus commercium deorum et hominum cernitur, una, quod dii sunt hominum amici, socii, salutis auctores; altera, quod intersunt non modo omnibus praeclare rebus gerendis, sed etiam eorum coenis; tertia, quod cum hominibus quandam futurarum rerum communicant cognitionem. Quare, si hominum odia amores, sententia fides affirmantur consentientium cum hominibus de omnibus his rebus, quantopere putamus hominis Homerici erectum fuisse animum ad summa quaeque spectanda, quanto gaudio exsultasse credentis illius quidem, nullum a se subiri periculum, quo defungentem ipsum non dii adiuvarent, nullam a se percipi voluptatem, qua non dii ipsi quoque fruerentur, nullam sibi rem graviorem accidere posse, quae non a diis portenderetur? Facile igitur intellegitur, quam late pateat deorum cultus.

Neque enim satis habuit homo Homericus precibus adhibendis deos coluisse aut sacris faciendis, sed ne unquam deorum oblivisceretur, cautum esse eo videtur, quod omnes fere in ore habebant ubique sacra loca[67]), sacram urbem, sacrum lucum, sacrum fontem aliaque multa, ita ut ubique deos tamquam praesentes sensibus cernerent. Erant autem sacrificia aut precantium aliquid a diis aut grates iis agentium aut expiantium, quidquid delictum erat. Hector[68]) Troiam properavit venire adhortante Heleno fratre[69]), quo nemo erat Troianorum augur praeclarior, ut Hecubam matrem iuberet matronas Troianas in templum Minervae convocare, quae a dea precarentur, ne a Diomede ad internecionem deleri Troianos sineret. Achilles[70]) a Iove precibus impetrare non potuit, ut Patroclus loco ipsius cum Troianis pugnans servaretur. Priami[71]) parantis proficisci in castra Achivorum, ut ab Achille corpus Hectoris sepeliendum acciperet, quum Iovem orasset, ut faustum sibi signum daret, aquila dextra volante confirmatus est animus. Saepissime fit, ut viri fortissimi deo alicui promittant, si hostem vicerint, se victimam immolaturos esse. Nonnunquam precationem ipsam valere ad implorandos deos credunt. Velut Achivi ut Aiax Hectorem vinceret, a Iove precati sunt nec votum fecerunt[72].) Pestilentia Achivi beneficio Apollinis liberati ad expiandum scelus quod Agamemno commiserat, quum iniuriam Chrysae, sacerdoti Apollinis, fecisset, filiam ei reddere nolens, non modo lauti sunt — mari enim omnia, quae violata erant, expiari putabantur — sed

etiam expiandi dei causa in ora boves et capros mactaverunt[73]). In omnibus igitur sacrificiis faciendis concedendum est homines emptores, deos venditores earum rerum videri, quas illi per se non habent, hi ita dant, ut ipsi quoque pro munere dato aliquid accipiant. Quamquam contenti sunt dii tantulo tributo, quantulo non vitam sustentant, sed vident, homines deorum non immemores esse; attamen vaporibus e carne assa ortis et sursum latis Iuppiter ipse tantopere delectatur, ut aegre ferat eorum mortalium aut calamitatem aut mortem, qui nunquam omiserunt eam voluptatem summo deo afferre.[74]) Nec vero fiducia sacrificiorum homo Homericus commotus est, ut iis ipsis sibi videretur satis fecisse ad deorum benevolentiam sibi conciliandam. Quod si ita fuisset, verisimile est, procos Penelopes, priusquam consilium iniissent Telemachum de medio tollendi, sacris faciendis favorem deorum captaturos fuisse. Sed id adeo non in furiosos illos iuvenes valuit, ut, ubi primum insidias eorum Telemachus Minerva auctore effugit, ea re admonerentur[75]), ne in eo incepto perseverarent, praesertim quum Amphinomus, quae eius erat probitas, hunc in modum dixisset: se non ab animo impetrare, ut Telemachum necaret; quid enim esse detestabilius quam regis filium occidere? Itaque illi deos consulerent, utrum id facinus committerent necne, quibus si placuisset, se Telemacho vim allaturum esse et ceteros incitaturum, ut idem facerent. Ita a timore deorum et pietate plane desciscere ne procorum quidem levitas potest nec religio ullam vitae conditionem expertem sui esse patitur.

Sed quoniam quales deos homo Homericus animo finxerit satis dictum est, videtur sequi, ut videamus, animi num subtiliorem definitionem ex Homericis carminibus sumere possimus. Ac tres sunt res, quantum ego existimare possum quae hoc loco sunt disserendae: vis et natura animi, libera quam vocant libertas, immortalitas animi.

Primum igitur de animo ipso dicendum est. Quam ad rem explanandam possum omnes eos locos colligere, quibus, quamvis sit magna varietas vocabulorum, animi mentio facta ita est, ut comparatione eluceat, cui generi proximo subsit notio animi et quae partitio facienda sit eius generum partiumque. Sed opportune accidit, quod eius modi disputatio iam pridem a viris doctis satis dilucide habita est,[76]) ex qua quae efficiuntur placet proponere. Significant igitur haec vocabula pars eas partes corporis, in quibus animus sive eius affectus domicilium et sedem habere dicuntur, pars ipsum animum et eius affectiones, pars promiscue et sedem et animum ipsum. In domiciliis autem animi numeranda sunt κῆρ, κραδίη, στῆθος, φρένες; animum et animam vel affectiones declarant ἦτορ, θυμός, μένος, μῆτις, νόος, ψυχή; medium quiddam tenent inter corpus et animum κῆρ, κραδίη, φρένες, praeterquam quod, ut supra demonstratum est, sunt domicilia animi. Dies me deficiat, si expromere coner, quae animi ingeniique facultates et quae animi affectiones his vocabulis significentur et quam quaeque habeat sedem; tantum dico, quae sententia vocabulis θυμοῦ et ψυχῆς subicienda esse videatur. Intellegenda est igitur ψυχή spiritus vitae sive vis vitalis quasi per totum corpus ita diffusa, ut non in una eius parte haereat, atque ea vis corpus deserat mortuum necesse est ideo, quod sola animi vitalis vis efficit, ut corpus sit vivum, unde apparet, cur non semel Homerus dixerit, ψυχήν ex ore vel ex vulnere mortifero morientium avolare ad inferos, apud quos vitam parum vitalem umbrarum ritu agat.[77]) Etenim ψυχαί quum primum eo venerunt, nihil sunt nisi εἴδωλα vel νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα. Ea autem vi ψυχῆς se animatum esse, homo, donec vivit, ostendit θυμῷ, non νόῳ, quod vocabulum non tam late patet quam θυμός. Qua in re hominis Homerici natura potissimum cernitur quippe putantis, vitam et animi vim non tam in rebus cognoscendis quam gerendis positam esse, non quo non idem θυμός saepissime parem aut simillimam habeat vim ac νόος, sed quod ad proprietatem animi humani significandam homo Homericus eo vocabulo utebatur, quod cadit in vitae actionem, non in

rerum cognitionem.[78]) Nec vero scio an recte dicatur, quam facultatem animi Plato secundum mentem in capite ponendam et cupiditati in ventre habitanti anteferendam pectori attribuit, eam apud Homerum mediam esse mentis et cupiditatis ita, ut θυμῷ tres omnes facultates animi contineantur atque in unum quiddam confundantur. Quare si quidquam est in homine, quod simplex sit neque habeat in se quidquam admixtum dispar sui atque dissimile, id ad θυμόν revocandum videatur. Nec tamen propter hanc simplicitatem est animus eiusmodi, ut non possit interire; nam, ut supra demonstratum est, si quis mortuus est, sane non iam θυμῷ ornatus et instructus putatur. Animus igitur, nisi capiat sensum aut voluptatis aut doloris, nisi iis aliisque affectionibus incitetur, nisi ira stimuletur, nisi odio inflammetur, nisi amore incendatur, nisi cupiditate potionis aut cibi commoveatur, ut aliquid aut appetat aut declinet, quomodo esse possit, homo Homericus intellegere aut mente capere nequit. At vero idem animus, quamvis sit in corpore et omnino nullus esse possit nisi in corpore, optime distinguit vera a falsis, bona a malis, virtutem a turpitudine nec potest facere, quin iis rebus, quae ab optimo quoque in maximo habeantur honore, tantum tribuat, quantum tribuere non posset, si libido dominaretur. Quis negat? Sed virtus voluptati aut animi perturbationibus non succumbit ideo, quod peior aut deterior affectus meliori cedit neque affectus vinci potest nisi affectu, unde intellegendum est, θυμῷ fieri, si penes quem est arbitrium alicuius rei. Exempla copiose colligere possum, sed ex infinita copia unum afferre placet. Hector[79]) solus extra muros, quum Troiani ceteri timore Achivorum commoti se intra munimenta recepissent, commorabatur; cui quum parentes non potuissent persuadere, ut se servaret, maluit cum decore mori quam turpiter vivere. Nec vero hoc consilium cepit, priusquam sic cum animo statutum ac deliberatum habuisset. Neque enim recordatus de Polydama eum necquicquam admonente, ut saluti suorum parceret, domum redire voluit et ante portas manere ac cum Achille in certamen descendere dubitavit, qui ne tunc nullam pacis conditionem acciperet timuit. Sed quamvis diu penderet animo ac dubius esset, quid faceret, tandem, ut erat magni animi, Achilli fortiter obviam ivit idque, antequam a Minerva fallaci spe auxilii inductus esset. Neque enim is est vir fortis, qui nescit, quantum in discrimen vitam vocet, sed is, qui periculis non retinetur, quin pro salute patriae caput suum voveat. Ea demum est humanitas, cuius Hectores, Aiaces, Menelai, alii non ideo sunt expertes, quod lacrimas nonnunquam tenere non possunt.[80]) Sed, ut ad propositum redeat oratio, perspicuum est, homo Homericus quid de animo iudicaverit non ita valde discrepare ab opinione eorum, qui hac de re non subtiliter nec ritu philosophorum disputaverunt. Brevi igitur praecidam: animus quamvis sine corpore nihil valeat et omni careat vigore, tamen a corpore est diversus atque homo, quod animatus est, indolem ad virtutem et omnes ingenii facultates habet.

Exposita igitur animi natura ac vi deinceps demonstrandum est, hominem Homericum eum fuisse, qui crederet, suae quemque fortunae fabrum esse. Atque hoc quidem non minus valet in eos, qui in praeclare rebus gestis optime meriti sunt, quam in eos, qui culpam alicuius rei contraxerunt. Facultatis igitur libere aliquid agendi non expertem se esse, homo Homericus, si non nomine putavit, at certe re ostendit neque igitur quin ita esset unquam in dubium vocavit. Omnes enim homines a fato pariter pendent, sed quum plurimi necessitate vel inviti cogantur, fortis vir et cuius animus sibi constans et firmus sit, a fato ductus, se ita gerit, sua sponte ut omne genus laborum periculorumque subeat ac ne mortem quidem horreat, dummodo quae vita pluris sint servet. Nonne igitur Hercules Sophocleus[81]) cruciatus doloribus corporis e Nessi venenato vestimento captis, quum opus suum quamvis terribile tamquam exoptatum et laetitiae plenum perficere vellet, fatum voluntate vicit? Non item Achilles[82]) immaturam mortem

suam voluntariam esse iubens, dummodo Hectore necato in summam gloriam veniret? Non item Hector, qui erat eius sensus publicorum malorum, mortem pro patria occumbens? Itaque Socrates causam defendens recordatus est[83]) de filio Thetidis mortem gloriosam obscuritati et humilitati vitae praeferente, ac quum apud iudices verba faceret, non ad preces descendit, sed, ut ait Cicero, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur iudicum.[84]) Dices: qui laborum suorum nullam aliam desiderant mercedem praeter hanc laudis et gloriae, illi quidem sunt plurimi aestimandi, sed virtutem plane perfectam atque numeris suis absolutam ideoque propter se ipsam expetendam non assecuti sunt. Si quaerimus, Socrates mortiferum poculum hauriens neque Achillis exemplum secutus est neque gloriam appetivit, quippe simpliciter officium suum praestans.[85]) Sed hominis Homerici consilia et facta si populari quadam trutina examinemus, quis est, qui comparandus sit cum Achille?

Sed redeat, unde aberravit, oratio. Iam de iis dicendum est, quorum culpa aliquid commissum est. Delictum enim non tollitur eo, quod quis aut a diis inducitur, ut iniuste faciat, aut ab aliis hominibus ad nequitiam adducitur aut quod aciem ingenii sive voluptates sive mentis caecitas praestringunt. Quanta igitur scientia ingenii humani Homerus se praebet hac in re demonstranda! Quantopere non modo inexorabilis et incorruptus iudex morum, sed etiam mitis et lenis defensor vitiorum et errorum exsistit! Helenae quidem peccatum non ab eo obtegitur aut occultatur, sed excusationem habet, quod Paridis iuvenis in primis pulchri blandimentis corrupta patriam et coniugem deserit, quod ab ipsa Venere ei persuadetur, ut a recta via abducatur.[86]) Quare id spectasse videtur Homerus, ut minus ea ab aliis crimine adulterii condemnaretur quam propter calamitatem eorum misericordiam commoveret, qui benevolentiores quam acerbiores in rebus humanis diiudicandis se praeberent. Quod si poëta assecutus est, non eo effecit, quod ipsos senes Troianos Helenae pulchritudinem cum admiratione adspicientes finxit,[87]) sed eo, quod Helena, quo magis benevolentiam et clementiam Priami et Hectoris experta est, eo acrius conscientiae malae morsibus cruciata videtur esse. Quid Agamemno, quid proci Penelopes, quid alii? Omnes ii paenitentia ostendunt, aliter, si voluissent, se facere potuisse, nisi quod proci ad tantam nequitiam progressi sunt, ut vel nollent, quod animi eorum obstinati erant, vel non possent ad virtutem et sanitatem redire, quod morte imprudentes oppressi erant. Et vero poeta non semel singulari arte demonstravit, eos non iam potuisse mutare mentem aut mores emendare, quamquam eius rei iis potestas facta videbatur esse et benignitate Minervae et vaticinatione Theoclymeni. Ea enim est mentis perversitas, ut, quod quisque aliquamdiu facere et voluerit et potuerit, si tempus constitutum praeterierit, non iam possit, etiamsi velit. Ulixem quum domum rediisset Minerva adhortata est, ut a procis in atrio tumultuantibus et bacchantibus panem petens experiretur, quis eorum beneficus aut liberalis esset, quis iam omnem humanitatem exuisset, sed ne sic quidem unum ex iis dea servatura erat.[88]) Item Theoclymenus procos simul et Telemachum recusantem matrem e patria domo demittere irridentes et distorto ore carnem cruentam comedentes fatumque suum cum quadam praesensione rerum futurarum flentes nequicquam admonuit, iamiam eos atra ala circumvolare noctem, iamiam eos lamentari, iamiam muros cruore manare, iamiam umbras in occidentem vergentes ad erebum properare, iamiam solem deficere. Nec vero quidquam effecit, nisi ut omnibus risum moveret.[89]).

Age vero illa res quantam declarat hominum in multis rebus labentium et multis erroribus obnoxiorum imbecillitatem, quod tam celeriter et tam sensim pedetentimque eorum mentes alienantur ἄτῃ, quam vix potest credi! Nam ἄτη ex quo a Iove ipso aliquando se ab ea occaecatum fuisse sentiente in terram emissa est,[90]) in capite hominum mollibus pedibus procedens[91]) omnium fere

malorum est auctor tribus rebus, una, quod homines mentis errore afficiuntur, altera, quod propter hoc ipsum vel stulte vel iniuste agunt, tertia, quod et sibi ipsi et aliis nocent. Rarissime autem fit, ut supplices preces, filiae Iovis, quippe quae, ut sunt claudae, culpam sequantur, incommodis e culpa captis medeantur.[92]) Possumus igitur iam hoc confirmare, homini Homerico ἄτην eam habere visam esse vim, ut neque stultitiam ab iniuria neque stultitiam et iniuriam ab incommodo et poena secernendam esse putaret.[93]) In quo dignum videtur memoratu, ne Socratem quidem desiisse vestigiis Homeri insistere docentem, quidquid vitiosum in homine esset, ad errorem mentis referendum esse, et, si quis emendare mores vellet, ei initium capiendum esse ab ignorantiae tenebris discutiendis.

At vero adsunt dii ubique hominibus vel in laboribus exantlandis vel in difficultatibus expediendis vel in doloribus tolerandis tantopere, ut non appareat, quantum perficiant homines, quantum dii. Fateor, et magnum quidem est deorum auxilium: num igitur propter hanc rem homines desinunt suo consilio uti, sua voluntate quidquam agere? Quid? ii, qui mente animoque addicti sunt christianae doctrinae, num sciunt, quantum ipsi in rebus adversis superandis faciant, quantum deus sanctissimus?[94]) Id quidem nonne adeo in dubio manet et manebit, ut ne summorum quidem philosophorum subtilitate in lucem proferri possit? Dii Homerici autem neminem adiuvant nisi qui se praestat dignum auxilio. Videsne, ut Achilles non multum absit, quin Agamemnonem gladio petat? Vereor, ne non Minerva impeditura fuerit, quominus Agamemno ab Achille necaretur, nisi ipse Achilles is fuisset, qui voluntati deorum pareret. Et hercle reputavit Achilles, priusquam gladium destringeret, utrum irae indulgeret an se ipse contineret. Quod Minerva, quippe quae semper optimo cuique adesset, animadvertens non potuit facere, quin se controversiis regum interponeret.[95]) Mitto, quod alii viri ipsi quoque non sine deorum ope magnas res gesserunt: tantum dico, Ulixe neminem maiora pericula subiisse aut saepius benignitate deorum servatum esse. Itaque quemadmodum comparatio quaedam et contentio ita fieri potest naturae et deorum, ut fluvius et deus, qui fluvio aquam praebendo vel ad nandum vel ad bibendum quodammodo praeest, sol et deus, qui beneficio caloris et lucis homines afficit, haud diversi videantur, sed unam et eandem habeant vim, cuius species sit duplex, item dii et homines eiusdem sunt generis et adeo paritate studiorum inter se coniuncti, ut quae hi velint factum, illi non impediant, sed adiuvent, ut, quibus rebus gerendis dii intenti sint, iis perficiendis homines operam impertiant. Recte igitur L. Feuerbach dicit,[96]) saepissime coniunctione καί apposita ab Homero actionem hominis aequari actioni dei, et quae exempla huius rei idem affert, sunt idonea, quibus demonstretur, deum nihil agere, quod non sua sponte hominem acturum fuisse credibile sit. Iuppiter neminem fallit, nisi qui se ipse fefellit.[97]) Minerva e somno suscitat domi Menelai Telemachum ipsum, quod de patria et de patre curat, somnum non iam capientem.[98]) Adde, quod eadem Minerva, quum Ulixem non facile adduxisset, ut ipsi fidem haberet, dixit: semper eius eam esse mentem, ut eum ipsa quamvis in maximis miseriis versantem deserere nequiret, quod esset ille per se sollertissimus et summo acumine maximaque prudentia.[99]) Quod quum ita sit, ut L. Feuerbach assentiatur affirmanti,[96]) deum nullum esse nisi animum hominis, nemo mea quidem sententia argumento a natura repetito cogitur, et quod W. Iordan dicit,[100]) Homerum, quum Minervam ita dicentem faciat, non latenter et obscure significasse, sed luculenter professum esse suam religionem, mihi videtur vir doctissimus suam doctrinae christianae interpretationem comprobare voluisse auctoritate Homeri. Sed quidquid de his rebus, quibus nescio quo pacto in mysteria intima theologiae profanum vulgus iuducitur, iudicandum est, hoc constat, si pro deo homo supponatur, ex omnibus hominum actionibus omnia miracula exui posse. Quod ut fiat,

ideo optandum est, quod aliter non potest demonstrari, hominem Homericum iisdem causis ad agendum commoveri, quibus omnes omnium temporum homines.[100b])

Reliquum est, ut doceamus, hominem Homericum, quod sub terra censuerit reliquam vitam agi mortuorum, animos non sempiternos aut immortales esse credidisse. Quid enim? Achillis animus immortalis? Minime hercle. Nam quum multae mortuorum umbrae, tum Achilles non potest cum Ulixe colloqui, priusquam cruorem biberit, quo facto queritur vitam, quam agat apud inferos, dicens, se malle mercenarium esse pauperrimi cuiusque, quam regem omnium, qui mortui sint.[101]) Nec vero Aiax Telamonius post mortem felicior sibi esse videbatur quam Achilles ceteraeque umbrae, quamquam ne mortuus quidem inimicitiarum et simultatum oblitus est, quas cum Ulixe propter arma Achillis ei ab Achivis tributa gesserat; immo Ulixi recusans respondere sibi constantem se praestitit et non placatum fato.[102]) Mihi igitur Homerus Aiacem vel post mortem Ulixi succensere pergentem fingens nihil videtur ostendere voluisse nisi quam alta mente, ut verbis Vergilii utar,[103]) repositum maneret odium in Ulixem et spretae fortitudinis iniuria. Quare animus quum post mortem non sibi conscius sit sui ipsius, nec dolore cruciari nec voluptate delectari potest. Ex quo efficitur, eos, qui mortui sint, nec pro rebus praeclare gestis praemio affici nec pro maleficiis puniri, exceptis iis, qui aut, quum a diis inprimis diligantur, in elysium, beatorum domicilium, traducuntur, aut, quum propter impietatem in deos peculiari videantur digni poena, tormentis peculiaribus vexantur.[104]) Ita Menelaum ut generum Iovis Proteus prosperrima quaeque exspectare iubet: eo loco, ad quem ille mortuus perventurus sit, vitam fluere tam facile quam nullius mortalis.[105]) Ita Tantalum, Sisyphum, Ixionem alios aut labore inani confectos aut damnatos infiniti doloris[106]) vidit Ulixes, quum in regnum Ditis descendisset. Quod autem de iis dicendum est, cave ne in maiorem numerum mortuorum transferas. Quorum vita cum corpore tam arcto vinculo copulata est, ut Homerus non dubitet dicere, perniciosa ira Achillem effecisse, ut multi fortissimorum virorum animi ad inferos convenirent, quum ipsos[107]) canes et vultures vorarent. Nec mirum videtur, quod iis, quorum vita magno rerum gerendarum studio transigebatur, animus, si viribus corporis vacaret, instar meri somnii erat.[78]) Huc accedit, quod id genus hominum neque asperitate coeli fatigatum neque adversa fortuna fractum erat, sed tanta alacritate in diem vivebat, ut morte, cuius μελέτη posteris demum temporibus ad philosophandum homines duxit, minus angeretur. An dubitandum est, quin homines quanto minus hanc vitam idoneam esse arbitrentur, qua contenti sint, tanto magis sustententur ea consolatione, quae iis adhibetur a philosophis docentibus, animos semper mansuros esse?

Et de natura, de diis, de animo quoniam ita mihi dixisse videor, ut perspicuum sit, qua ratione homines Homerici idem omnes senserint, ne illud quidem praetermittam, ita generatim atque universe nonnunquam Homerum vel deos vel homines loquentes facere, ut quae ab iis dicantur per se memorabilia sint et, si sola exstarent, eas sententias continerent, quae non modo Homerici, sed omnino hominis naturam satis aperirent. Atque hae sententiae ut sunt eo similes philosophiae, quod ad totam vitam pertinent, ita a philosophorum doctrina differunt, quod ad vulgarem popularemque sensum accommodatae videntur esse nec multis et gravibus argumentis demonstrantur, sed, quum usu magistro discantur, per se liquent. Primum igitur quaerendum est, quis et qua occasione oblata tanta sapientia sit apud Homerum, tum, quid argumenti habeant hae sententiae, post, utrum inter se consentiant necne.

Ac primum quidem videamus, quis sit, qui quasi quendam philosophum se praebeat. Qua in re poëta ipse quam non opinione praeiudicata aut statuendi levitate commoveatur, ut vacuus esse studio et ira desinat, id documento est, quod nunquam aut rarissime saltem et modestissime dicit,

quid de rebus humanis sentiendum esse putet. Adeo non quibusdam sententiis addictus est Homerus, ut vel eas, quae latissime pateant, in omnibus rebus valere videatur negare. Quare non audiendi sunt ii, qui affirmant, Homerum ipsum vel hominem Homericum Iovi dicenti, vitam humanam miseriarum omnium plenissimam esse,[108]) ita assentiendum esse existimasse, ut persuasum habuerint, demonstrari posse, in vita humana praeponderari bona malis. Qui autem ipsi aut in miseria sunt aut ex ea modo effugerunt et qui alios calamitate afflictos vident, non potest fieri, quin pro rei magnitudine in summa severitate versentur. Atqui miseria vel calamitas omnibus hominibus est communis nec quisquam prudens inveniatur, qui, si ipse ad tempus felix sibi videtur, non metuat, ne, quanta sit mobilitas et imbecillitas fortunae, experiatur. Ergo non modo deorum et hominum qui ingenio valere putantur, sed etiam mulierum et adolescentium atque hominum infima fortuna, si modo aut sua aut aliena calamitate docti sunt, sapientiae plenae sunt voces, praesertim quum saepenumero quae in omnium ore et sermone fere trita sunt, ad eas res transferant, quae forte iis usu veniunt. Quumque non sit dubium, quin quae quisque timet ne sibi accidant propter ea alios commiseretur, fit nonnunquam, ut ex ipsa misericordia proficiscatur illud μάθος, quod πάθος gignere Aeschylus dicit.[109]) Itaque ad sapientiam adipiscendam quanta sit vis suae calamitatis, Achillis exemplo ostenditur, quanta alienae, Philoetii. Achilles enim, quum sibi conscius esset, iram si cohibuisset, se potuisse impedire, quominus Patroclus amicissimus ipsi omnium Achivorum ab Hectore necaretur, tunc demum omnem, quam adversus Agamemnonem susceperat simultatem deposuit, ea dicens de ira,[110]) quibus nihil magis accommodata esse possunt vel ad irae vim ac naturam demonstrandam vel ad eos, qui iracundia incensi sunt, admonendos, ne sero iram remittant. Philoetius autem, homo ad misericordiam propensus et qui sit nativa sollertia, videns mendicum pannosum eundemque cum quadam regali elegantia dicentem et agentem, quem Ulixem dominum suum esse nescit, non potest, quin exclamet:[111]) Iuppiter, nemo deorum crudelior est te! qui homines simulac ipse creavisti non commisereris, sed ad summam inopiam et incredibilem miseriam conicias. Qua voce nescio quo pacto optimus bubulcus inscius eam quaestionem difficillimam significat, quam nemo adhuc philosophorum explicavit.

Age nunc consideremus, quarum rerum explicationem bene vivendi disciplina Homerica contineat. Sunt autem sententiae in has partes distribuendae. Pars amplectitur praecepta ad vitam omni ex parte conformandam: pars pertinet ad religionem, sive ad superstitionem, sive ad eam pietatem, qua qui praediti sunt, voluntati deorum parent; pars in fato explanando versatur, sive quod fortissimus quisque tanta gravitate, quanta habet ipsa sententiae vim, profitetur, se nec velle nec posse non obsequentem esse μοίρα, sive quod sententia aliqua summa necessitas agnoscitur; pars culpam hominum, pars iustitiam et modum in omnibus rebus retinendum, pars amorem patriae plurimi aestimandum, pars perturbationes animi earumque medicamenta et mentis hebetudinen, pars denique vita humana quam misera sit declarant.[112])

Sed iis sententiis si quis ad certam normam ordinandis operam dare velit, periculum videtur esse, ne ea, quae ab hominibus simplicibus simpliciter dicta sunt, aut corrumpat aut ita mutet, ut qualia ante fuerint, nemo facile agnoscat. Quid? quum ii qui doctrina summorum philosophorum imbuti sunt, non possint retineri, quin pugnantia loquantur et de iisdem rebus alia occasione oblata aliter iudicent, homine Homerico vitio vertendum erit, si eosdem deos, quos alias auguste et sancte venerandos existimavit, nonnunquam propter iniuste facta accusat?[113]) Neque enim dictis, sed studiis et factis virtus dirigenda est quum in omnibus rebus, tum in religione et cultu deorum. Hector igitur non pro homine impio habendus est, quod optimum augurium esse adiumentum

patriae afferendum dicit[114]) nec Phaeaces, quum invito Neptuno hospites mari domum transducunt, omnem religionem delent[115]) nec Menelaus, pariter ac Philoetius, negans Iove esse ullum deum crudeliorem (neque enim gladio diffisso potuit facere, ut Paridem caederet) aut contemnens deorum aut iis invisus existimandus est.[116])

Deinceps, ut erat propositum, videndum est, quod summum bonum habendum esse homo Homericus putaverit. Ea igitur disputatio quattuor in partes dividenda videtur esse, quarum prima est, quae docet a quodam studio bonorum augendorum haud alienos fuisse homines Homericos. Secunda est autem, quae docet, mores patrios constanter secutum esse hominem Homericum. Tertius est locus, qui ducitur a republica et iustitia conservanda. Quarta est pars, quae docet, hominem Homericum ita corporis viribus excolendis studuisse, ut non vacaret quadam elegantia. Earum, si placet, rerum quanta quamque sit gravis una quaeque, videamus.

Primum igitur de possessione bonorum dicendum est. Atque in ea re exponenda hoc sine ulla dubitatione confirmaverim, lucri faciendi et divitiarum parandarum minus cupidum fuisse hominem Homericum quam homines, qui nunc sunt, et bona non tam per se expetenda quam quod essent sustentandae vitae existimasse. Nam neque pecuniis corrumpi aut omnia ut pecuniae causa facerent adduci neque omnia in pecuniam redigere aut divendere neque acervos nummorum construere neque ex aere alieno laborare potuerunt ii, qui, quum omnino expertes essent auri argentive signati, pecuniis ut aut uterentur aut abuterentur nullo modo commovebantur.

Quare agri colendi studium vigebat, praesertim quum fundi possessores non tam avari essent, ut agrum paternum propter cupiditatem infinitam pecuniae relinquerent, quo factum est, ut homines Homerici, quum diutissime uno loco sederent, patriae amantissimi essent. Quumque avaritia non tanta posset capere incrementa quanta posteris temporibus, nondum ea discordia concitari coepta est, quae ex odio alterno oriri solet, si cives civium maioribus pecuniis et divitiis invident. Quid? qui fenus iniquum exercere nondum assueverant, num ii aegre tulerunt, quod labor mercede non compensatus esset?

Iam illud videamus, quibus ex rebus bona constent et quomodo parentur et augeantur. Quaecunque homo Homericus possidet, sunt aut κειμήλια aut πρόβατα aut servi, et in κειμηλίοις[118]) numerandi sunt agri et res pretiosae, quae dividendae sunt in quaedam pondera auri argentive, quae τάλαντα[117]) vocantur, et in res utiles easdemque formosas e metallis factas aut ad bellum gerendum aut ad res domesticas administrandas; πρόβατα[118]) autem sunt pecora, iumenta, armenta, greges. Parantur autem et augentur haec bona omnia aut mercatura, quae fit permutandis mercibus, aut hereditate aut dote, quam filia a patre accipit ex iis bonis, quae procus pro filia patri antea dedit,[119]) aut praeda ab hostibus facienda aut muneribus et donis acceptis et datis. Sed qui quaestus faciendi causa merces permutant, despiciuntur, non quod despicatui ducatur, si quis unius potissimum artis peritus sit et partes eius susceptas cum fide tueatur, nam poëta[120]) sive vates et medicus[121]) sunt in aliquo numero et honore, sed quia munus ipsum mercatoris sordidum videtur. Itaque Ulixis animum Euryalus nulla re potuit magis offendere, quam quod eum verbis vulneravit, quum diceret, eius studia in mercatura facienda versari.[122]) Sed quo minus homo Homericus studet mercaturam facere, eo magis delectatur iis bonis, quae aut fortitudine vel hostibus proelio victis vel urbibus occupatis sua facit aut dono ei dantur ab iis, quos amat et a quibus amatur. Nulla igitur in alia re gesta Achilles tam gloriatur, quam quod urbes tot deleverit, quot nemo alius, et tantam fecerit praedam, quantam neque Agamemno neque Aiax Telamonius neque Diomedes aliique.[123]) Dona autem quanti aestimentur, inde apparet, quod habentur non modo hospitii pignora, quae, si accepta

et data sint, qui paterno hospitio coniuncti sunt sperant fore ut filii et nepotes a patrum amicitia non deficiant,[124]) sed etiam placamina, quibus si utuntur confidunt, cum iis, quibus iniuriam fecerint, in gratiam se redituros esse.[125]) Ac ne illud quidem silentio praetereundum videtur, quod per dolum aliquid lucrari non turpitudinis esse existimatur. Mitto, quod Autolycus, quum docilis fuisset discipulus Mercurii magistri, cui gratias sacris faciendis persolverat, non veritus est, peierare sive ita iurare, ut is, quem decipere voluit, quod ipse dedita opera ex ambiguo dixerat, aliter ac dictum erat, acciperet.[126]) Hoc dicam, Penelopen, quum animum induxisset, nulli procorum nubere, non dubitavisse iis persuadere, ut dona ipsi darent, quibus datis se non longius viduam mansuram esse, sed concessuram, ut ab eo in matrimonium duceretur, a quo pretiosissima dona accepisset.[127]) Et vero Ulixes hoc audiens adeo non in dubium fidem uxoris vocavit, ut contra in sinu gauderet, quod Penelope pro astutia procos ludificans effecisset, ut et eos falsa spe deciperet et rem suam augeret. Erraverit igitur, si quis opinetur, hominem Homericum divitias omnino non magni aestimasse. Quid? Ulixes, Menelaus, alii nonne se ostentant in divitiis, quas bello Troiano confecto multis laboribus terra marique perfuncti paraverint?[128]) Non proci eo maxime supplicio digni habentur, quod Ulixis domum nudaverunt et exinaniverunt? Non a Troianis Achivi postulant, ut praeter Helenam eum thesaurum reddant, quo Paris Menelaum privaverit?[129]) Quamquam ille thesaurus nec tantus fuisse videtur, quantus is, qui a vasallo Guntheri in Rhenum demersus est, et res minoris momenti in Iliade est quam thesaurus Nibelungorum, tamen quod identidem commemoratur, ostendit, Achivos cum Troianis non modo de Helena, sed etiam de divitiis certavisse.

Sequitur, ut ostendamus, praeclaros a maioribus accepisse mores hominem Homericum ac patriorum institutorum tenacissimum fuisse ideo, quod eo modo suae omniumque saluti consulere sibi videretur.

Nam quod semper in quandam excultam vitam hominum valet, id sine dubio de homine Homerico dici potest, et bonos mores in vulgarem usum consuetudinemque iam pridem inductos esse et omnes nihil antiquius habuisse, quam ut nemo a patriis institutis deficeret. Atque etiam eo plus mores ad vitam et privatam et publicam omni ex parte conformandam valebant, quod illi homines non habebant leges scriptas ita, ut non modo ea, quae per leges incerta vel dubia manerent, moribus explerentur, sed ut omnino mores legum loco haberentur. Nec vero ita servi erant morum homines Homerici, ut quod sibi quisque expetendum putaret, quominus sectaretur, moribus a patribus acceptis se impediri pateretur. Immo mores ipsi erant ii, ut cupiditatibus explendis locus esset relictus. Quid enim? Num infamia flagravit, qui aut inimicum sua manu ceciderat[130]) aut ipse poenas amici vel propinqui interfecti persecutus erat?[131]) Minime hercle. Quid? quod ne adulterium quidem tam inhonestum aut turpe esse existimabant, ut non hac in re excusatione voluntatis deorum uterentur? Quae igitur moribus improbari videbantur, iisdem moribus nonnunquam purgabantur Neque enim omnium hominum aut proclivitatem ad motus perturbationesque animi aut facilitatem in cupiditatibus coërcendis parem esse vel natura vel propter vivendi conditionem sentiebant. Quare quum hominum illius aetatis animus fervidior esset, quam ut appetitum rationi oboedientem praebere possent, iis et facilius peccatum condonabatur et concedebatur, ut iniuria affecti ipsi ius suum persequerentur. Neque igitur modo caedis factae poenae iis repetendae erant, quorum affines interfecti erant[131]) sed etiam qui caedem fecerant, iis pro caede facta pretium solvere licebat,[132]) et qui alicui iniuriam intulerant, eam dono sarcire poterant.

Sed quoniam boni mores cernuntur in genere humano conservando idque autem fieri non potest, nisi qui appetitus est coniunctionis procreandi causa omnium animantium communis, in

disciplinam coniugii redigitur, ex quo omnis caritas patriae suorumque ita proficiscitur, ut id tamquam seminarium et principium omnium societatum, omnium amicitiarum atque etiam reipublicae habendum sit, eo maxime apparet, ab homine Homerico ad honeste vivendi rationem perventum esse, quod ab eo casti et stabilis connubii sanctitas illa quidem nondum iuris auctoritate confirmata erat, sed non modo nomine, verum etiam re agnoscebatur nec quidquam prosperitate et concordia coniugum laude dignius esse existimabatur.[133]) Qui igitur dicunt, nihil esse, quod magis displiceat quam quae in Iliade describitur rixa virorum fortissimorum orta illa quidem ex amore turpissimo Agamemnonis erga Chryseida, Achillis erga Briseida, ii malignius et simplicius quam verius et ingeniosius iudicare mihi videntur. Licet enim ii homines, qui Troiam decimo anno oppugnabant, quum propter multas res, tum propter bellum ipsum, quod non sine aliqua immanitate geri potuit, non tanta humanitate imbuti sint, quanta Ithaci et Phaeaces, tamen ne in Iliade quidem muliebres virtutes plane desiderantur; neque enim ulla mater amantior filiorum esse neque ulla uxor magis de salute mariti curare potest quam Andromacha aut Hecuba. Quid? Odyssea nonne trium mulierum, Helenae,[134]) Clytaemnestrae,[135]) Veneris[136]) detestabilia adulteria opposita sunt eximiae fidei Penelopes? Nausicaa non virgo tantae verecundiae, tantae venustatis exsistit, ut nostrae memoriae ausi sint poëtae, quorum Goetheius longe princeps est, quae Homerus singulari et non imitabili arte percurrit et leviter significat, persequi ac dilatare? Tota Odyssea non tractat violatam a procis et ab Ulixe restitutam sanctitatem domus et familiae? Ulixes non domum suam pollutam esse amoribus procorum et ancillarum existimans procis interfectis haud severius et iustius, quam decuit, de patibulo ancillas suspendendas curat?[137]) Haec hactenus.

Nunc exponamus eas consociationes, quae nisi connubii est iactum fundamentum, nullae omnino esse possunt. Sunt autem hae, ut opinor, consociationes servitutis, hospitii, amicitiae.

Ac servorum quidem conditio quamquam infima videtur esse, quum libertate amissa non modo domini sunt facti, sed etiam, ut ait Eumaeus, dimidia parte virtutis a Iove privati,[138]) tamen non durior erat aut nimio labore aut inopia rerum ad vitam degendam necessariarum, si modo benignitate et comitate domini utebantur. Et quod servorum humilitas despecta erat, ii, qui nobili loco orti in servitutem abducti erant,[139]) quadam libertate utebantur et in aliquo honore erant, quum ii, qui servituti nati erant, quod bonum non cognoverant, non ita valde desiderarent. Quare vita servorum magis pendebat e personis et servorum et dominorum quam e servitute. Num igitur mirandum est, quod Eumaeus[140]) et Philoetius[141]) tanto paene desiderio Ulixis absentis commoti sunt, quanto vel Penelope vel Telemachus? Ii autem, qui suo iure de eo glorientur, quod mori, qui nostro tempore invaluit, convenienter, servitus abolita sit, nolim obliviscantur, saepe nunc fieri, ut, qui non habeant servos, ipsi sint servi.[142])

Exposita igitur servitute deinceps demonstrandum est, unde orta sint hospitia et qualia fuerint. Quae si qui putant ex inopia atque indigentia nata esse, ut sint, apud quos deversentur homines peregrinantes et itinera facientes, occasionem illi quidem cum aliquo hospitium coniungendi et utilitatem ex eo capiendi recte videntur demonstrare, sed non satis ostendere, quantopere homines per se indigentes alter alterius auxilio egeant atque ob id ipsum naturali quodam amore coniuncti sint, quae res exemplo hospitii comprobatur. Atque haud scio an vel ii qui nunc sunt homines, si in exteris terris versentur, magis et ipsi sibi videantur ad humanitatem propensi esse et aliorum benevolentiam experiri; domi enim quum omnia ad voluntatem ipsorum fluant, oblivisci solent, quantum homines hominibus debeant. Accedit, quod in patria non modo consuetudo quotidiana, quae nobis est semper cum hominibus iisdem, animo callum obducit, sed etiam affinitates et civium cum civibus variae et multae coniunctiones ac congregationes efficiunt, ut tametsi nullus in nobis

sensus humanitatis relinquatur. Quodsi nos, quorum itinera et profectiones multo faciliora sunt quam hominis Homerici, quorum vitae commoditates magis in rebus extrinsecus agitatis quam in hominibus eorumque voluntate positae sunt, ad humanitatem informamur proficiscendo, quanti momenti putamus ad benevolentiam hominibus praestandam fuisse eorum peregrinationes, quibus itinera facientibus nisi hospitiis nulla re auxilium ferri potuit?

Proximum est, ut de amicitiis dicamus. Quarum iungendarum et servandarum quum maxime omnium mortalium Graecos fuisse studiosos constet, facile intellegitur, eos ne hac in re quidem a moribus maiorum ita defecisse, ut non ex Achille et Patroclo exemplum sibi sumerent. Quid ita? Quia amicitiam, ut ait Cicero, nisi in bonis,[143]) esse non posse Achilles et Patroclus, si quisquam, declaraverunt, quum non modo summis virtutibus inter omnes praestantes exsisterent, sed etiam tam fideli, tam sancta, tam perfecta amicitia praeter ceteros florerent, ut hic Achillis armis indutus in locum eius succederet confidens, se eandem, quam Achilles consecutus erat, gloriam adipisci posse, ut ille immaturam mortem vitae longae praeferret, dummodo amicum ulcisceretur. Amicitia autem quum non e sanguinis coniunctione suspensa sit, sed contrahatur a viris bonis, qui alter alterum propter similitudinem morum et studiorum amant, dignissima est homine libero et eum aptiorem ad optima quaeque suscipienda facit. Itaque ut Odyssea in societate connubii et familiae commendanda et laudanda versari, sic tota Ilias agere de amicitia illustranda et celebranda videtur. Amore enim Patrocli commotus Achilles usque eo iram cohibuit, ut amicum suis armis ornatum suo loco contra Troianos pugnatum proficisci pateretur; atque etiam eodem amore incensus ira deposita, postquam cum Agamemnone reconciliatus est, eam pugnam recepit, cuius tam diu expers fuerat, et crudelissime in Hectorem consuluit. Nec vero quidquam ei potuit τραγικώτερον accidere, quam quod ipse pro immodica ira punitus est, damnum faciens amici, quo nihil ei carius fuit. Nihil igitur reliquum erat, nisi ut quem amicum viventem non iam in deliciis habuit, eum mortuum et poenis ab Hectore repetendis et magnificentia sepulturae honoraret. Et profecto confecit hoc utrumque ita, ut, qualis et quanta fuisset ea amicitia, eluceret magis mortuo Patroclo quam vivo. Nec vero amicitiam Achillis et Patrocli aut unam et solam fuisse aut commenticiam esse, sed multos homines Homericos, sive armorum socios, sive familiares similiter inter se amasse et, si amicos vita superavissent, mortuos pro viribus condendos curasse non modo inde apparet, quod Homerus multorum commilitonum et amicorum mentionem facit,[144]) sed etiam per se credibile est. An non Homerus est is poëta in primis, qui quum multis rebus tum maxime eo nos sensu pulchri imbuat, quod, quidquid exponit, e vita ductum est? Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Mortuis igitur mos erat ut non modo lacrimis et lamentatione, sed etiam pompa exsequiarum iusta persolverentur. Quod nisi fieri poterat, simpliciter funus humandum erat et tumulus exaggerandus, quippe quum qui mortuus erat nisi sepultus requiescere nequiret.[145]) Sed simulac et lugentibus et mortuis satisfactum erat, ii qui superstites mortuorum erant, adeo non iam moriendi, sed vivendi memores erant, ut e vestigio ad ludos se conferrent, in quibus faciendis quam iucunde tempus tererent, e ludis funebribus intellegitur, quibus Achilles supremo in Patroclum officio functus suos et Patrocli commilitones delectari iussit.[146]) Etenim illud genus hominum quam vivendi amans erat tam celeriter satietate lugendi capiebatur.

De mortuis loquimur et de iis, quae ad mortuorum honorem fieri solebant. Quid tandem? qui in vita sunt nonne multo magis, ut sunt honorum cupidi, honoribus afficiendi sunt? Restat igitur, ut exponamus, quid homo Homericus de honore iudicaverit. Atque in ea re αἰδώς[147]) id est verecundia, qua qui commoti sunt, ne quid indecori committant, pietatem in deos praestant, distinguenda

est a timore, in quo qui sunt cavent, ne male de ipsis homines existiment. Quem igitur hominum Homericorum ad honorem petendum idoneum fuisse existimamus? Nempe non eum, quem neque deorum neque hominum pudeat. Nam postulamus, ut concedatur, honorem ab homine Homerico habitum fuisse nullius pretii, nisi iis tribueretur, qui eo digni essent, nisi vero existimas, illa aetate mores praecipites ire coepisse aut eorum tantam fuisse corruptelam, ut honores venales haberentur, ut qui viri non iam essent boni aut probi, quum videri vellent, simulationum amantes in honoribus vel dandis vel accipiendis tegumenta omnis nequitiae quaererent. Ac ne pudicitia quidem hominis Homerici ea erat, ut coeundi appetitum simulatione sanctitatis aut dicendo obtegeret, sed quum in omnibus rebus, tum in voluptate amatoria nimia cogitatione aut libidinibus naturae legibus repugnantibus non impeditus est, quin rectam viam ingrederetur. Quare praeterquam quod, quae naturalia essent, homo Homericus turpia esse existimare non potuit, ceterum quum nemo poëta vituperandus sit, quod in hominibus eorumque moribus describendis nihil spectat nisi, ne unquam a veritate deflectat, ne Homero quidem obiciendum est, quod vel deos vel homines suo tempore et suo loco cupiditates explentes facit. Testis est Iuppiter,[148]) qui nocte appetente cum Iunone concumbere solet. Quid? Alcinous et Arete nonne item se gerunt?[149]) Itaque, ut plura non dicam neve aliis exemplis confirmem, quam ne in hac quidem re explananda Homerus recedat a consuetudine enarrandi distincte et distribute omnia, quae sint in ordine et lege naturae posita, sumatur exemplum egregiae integritatis a matre Achillis filium admonente, ne longius dolore Patrocli mortui captus neglegeret cum puella corpus commiscere.[150]) At sunt Iuppiter et Paris adeo non libidines domitas habentes, ut ille sub divo in culmine montis Idae versans non erubescat cum Iunone coire,[151]) hic modo victus a Menelao idemque servatus a Venere complexus venereos non fastidiat.[152]) Quis negat? Sed Homerus suo iure talem hominis naturam depingit, qualis est, praesertim quum, si unquam, illis locis praeclarissimis argumentis demonstret, qui factum sit, ut Iuppiter et Paris in libidinem inducerentur.[153]) Neque enim dubium est, quin Iuppiter, quum Iunoni zona Veneris ornatae[154]) resistere non possit, libidinum illecebris irretiatur, ac simili modo Paris acceptae cladis non immemor animum suum voluptate quasi obtundere studet. Verum, ut eo, unde degressa est referat se oratio, dicendum est, quibus virtutibus ii praediti fuerint, qui honoribus affecti sint, et quales fuerint honores.

Fortitudinem autem omnium virtutum summam ab homine Homerico habitam esse nemo est quin videat. Quae enim est virtus, quae magis respondeat personis eorum, qui heroicis, quae vocantur, temporibus fuerunt? Quibus temporibus tantus est omnium consensus, ut nihil quisquam factum velit, quod non omnibus probetur. Itaque quod Achivi Troiam oppugnaverunt et quod Ulixes procorum maleficia vindicavit, in iis rebus gerendis ab optimo quoque non modo laudatus, sed etiam adiutus est; videlicet nemo erat vir bonus, cuius non multum interesset, ut, qui iura divina et humana permiscuissent, punirentur. Nec minus Hectoris eiusque sociorum facta ab omnibus magni aestimabantur, quippe quum Troiani ipsi quoque nihil aliud facerent, quam patriam, liberos, coniuges defenderent. Num igitur mirum, quod quam virtutem ab omnibus solam praedicandam et laudibus extollendam putari viderunt, ei colendae operam dederunt omnes? Neque enim ea virtus a iustitia aut a probitate aut a veritatis amore[155]) plane vacua erat, sed ea, qua, qui instructus erat, suum suorumque ius ita persequeretur, ut, praesertim confisus corporis robore, nihil timendum existimaret, dummodo ad effectum adduceret, quod iustum, quod viro magnanimo dignum, quod sibi suisque utile esse iudicaret. Atque occasio fortitudinis praestandae tam crebro data erat, ut ad certamina singularia non descenderent nisi cum hostibus

nec quemvis unum ad pugnam provocarent, a quo iniuriam vel voce vel plaga accepisse sibi viderentur, quasi vero per se cuiquam dedecori esset, iniuriam accipere, ac non facere; quae perversitas animi media aetate ab hominibus equestri ordine pro eximia virtute haberi coepta ac nondum, quod dolendum est, in eam sententiam a multis accipi desita est. Sed vir fortis quum nemo esse posset, quin vires corporis quam maxime excoluisset, quin saltando, currendo, luctando, disco iaciendo sese exercuisset, propter hoc ipsum qui his rebus excellebat, apud omnes in honore erat. Nam, ut ait apud Phaeaces Laodamus, vir, quod pedibus velocibus et lacertis validis praestare potest, ex eo longe maximam capit gloriam, si modo vir est.[156]) —

Age nunc videamus, quae praemia fuerint virtutis et qui gradus honorum. Responderunt autem honores frugalitati temporum heroicorum, quibus nondum homines aut nomina inania et appellationes aut insignia et solemnia ornamenta aucupabantur eo avidius, quod putarent, se eas res possidentes tantam auctoritatem consecutos esse, ut non iam esset, cur in magnis laboribus desudarent. Atque item non eorum, penes quos omnis erat potestas, iudicium sequebantur asseclae ita, ut hac mole imperii honorum vanitate nixi ii obruerentur, qui mallent sui iuris esse quam decorati insignibus servorum multitudinem augere, sed honores, quum non in singulis infixi haererent in perpetuum personis, denuo semper acquirendi erant. Sed ne quis quae de appellationibus et insignibus dixi non recte interpretetur, concedendum videtur, cupiditatem earum rerum multo honestiorem esse quam lucri faciendi. An non Persae Graecos metuerunt, quum audivissent, eos Olympiis certare de corona virgulis oleaginis facta?[157]) Constabant igitur honores bona fama — nihil autem magis timori erat quam νέμεσις, id est infamia[158]) — et donis, quae quam exigua saepe fuerint, inde intellegi potest, quod fortissimus quisque maioribus carnibus aut vinis melioribus contentus erat.[159]) Huc accedit, quod optimus quisque sperabat, fore ut memoria sua nulla unquam oblivione deleretur, praesertim si laudes ipsius a vatibus celebrarentur.[160])

Dixi de moribus; nunc dicam de republica et de ea virtute, quae ad societatem hominum pertinet, de iustitia. Cur igitur amore iustitiae non vacasse homo Homericus existimandus est? Quia non sibi quisque in solitudine vivebat, sed praeclare cum aliis agebat. Atqui societas hominum nulla omnino esse potest, nisi qua quisque iniuria se affici non vult, eam ne aliis quidem facit. Videsne igitur, ut Cyclopes ideo omnium iurum neglegentes sint, quod solitariam agant vitam?[161]) Ita fit, ut homo Homericus, si non scriptas habuerit leges, at certe a maioribus quandam normam iuris acceperit, ad quam, quisquis iudex exsisteret, sententiam dirigeret, nisi ius flecteret.[162]) Et tam in iure dicendo quam in republica administranda rarius heroicis temporibus quam postea fieri solet, ut ius laedatur. Quid enim? Publicae necessitates tam difficiles et tam variae erant, ut publicum ius communi humanitatis iuri repugnaret? Minime hercle. Ac quae iura sermone tradita et propagata erant, propter simplicitatem vitae publicae et privatae adeo non contorta aut impedita erant, ut iuris interpretatio ab humanitate non abhorreret. Adde, quod illis temporibus non tam celeriter commutatio rerum omnium, quae ad societatem hominum spectabant, fieri poterat, ut novissimus quisque temporum habitus novam deinceps iuris rationem postularet. Quibus ex omnibus rebus facile intellegitur, hominem Homericum eo dolore non facile cruciari potuisse, quo nullum maius esse potest, quo quis si suo iure privatus est, pungitur. Quid ergo? Qui legibus saepissime impediuntur ius suum tueri, tueri contendunt? homines Homerici non contenderunt? Sed haec hactenus.

Nunc videamus, quaeso, respublica qualis fuerit. Antiquissimis igitur temporibus homines paritate originis, linguae, morum inter se coniunctos in eius fidem se contulisse, qui iis videbatur auctoritate et opibus aptissimus ad iura communia defendenda, ita per se elucet, ut credibile sit,

ab iis rebus regnum Agamemnonis, Menelai, Ulixis aliorum item natum esse, atque ob eandem causam Thucydides[163]) testis est, factum esse, ut Agamemnonem ducem, quum inter ceteros reges non tam fortitudine quam potentia excelleret, Achivi sequerentur ad Troiam occupandam. Neque igitur summam esse potestatem regis aut a patre hereditate accipi ideo voluerunt, quod maiestatem regiam per se divino honore colendam esse putarent, sed contra regem divinum et a diis ortum esse ita existimaverunt, si regem dignum esse iudicarent, cui omnes parerent.[164]) Et quod Ulixes vir unus omnium prudentissimus negat, πολυκοιρανίην, i. e. imperium multorum[165]) esse bonum, non vult crudelem et superbam dominationem laudare, sed illud defendere, si ageretur omnium salus et si celeritas actionis in voluntate et consilio unius viri posita esset, dicto audientem esse oportere ei, cuius potissimum esset sibi suisque consulere servanda republica. Regiam autem et legitimam potestatem qui habeat, ob id ipsum nullo modo usque eo se continere, ut omni iniuria abstineat, ostenditur exemplo Agamemnonis, quem tantopere paenitet, quod Achillis animum offenderit, ut non modo se iniuriam fecisse propalam confiteatur,[166]) sed etiam saepissime suis rebus desperet.[167]) Praeclare igitur dictum est ab Horatio:

quidquid delirant reges plectuntur Achivi.[168])

Quae deliratio regis ne latius manet neve rempublicam praecipitet, reges regi adsunt et libere profitentur, quae sibi e republica futura esse videantur, quum 'αγορή[169]), id est contio populi in forum convocata nisi aut fremendo aut applaudendo nullas in deliberando partes agat. Neque unquam qui sacerdotio praeerant, tantam habebant potestatem, ut aut religionem quaestui haberent aut valerent ad rempublicam gerendam. Dices: Agamemno quamquam Chrysae sacerdoti petenti, ut filia sibi redderetur, defuit,[170]) tamen Calchae admonenti, ab Apolline pestilentiam in castra Achivorum immissam esse neque eius iram cessaturam esse, nisi Chrysae, sacerdoti Apollinis, filia reddenda satisfactum esset, non potuit, quin obsequeretur. At ipse Calchas quantopere regis iram timuerit et quam non confisus sit, fore, ut Agamemnonis animum immutet, si demontraverit, illum culpa pestilentiae et calamitatis teneri, eo apparet, quod non prius verum dicere ausus est, quam Achilles eum bono animo esse iusserit.[171]) Libertas autem in dicendo tanta fuit, ut ne regis quidem praesentia aut reprimeretur aut imminueretur. Quod declarat ea ratio, qua quum multi tum Achilles et Diomedes adversus Agamemnonem utuntur. Quid? Diomedes nonne coram ipso Agamemnone negat, eius animum firmum et stabilem esse?[172]) Quid? Achilles nonne eo ipso animi altitudinem praestat, quod non tantam apud eum rex auctoritatem habet, ut se ab eo impune laedi patiatur? Non cum rege de eius avaritia et cupiditate praedae maximam partem suam faciendi expostulat?[173]) Quid? Agamemno ipse, quum eius modi castigatione et pudore affectus non semel ad se redeat atque animo deficere desinat, nonne illius libertatis utilitatem comprobare videtur? Quantis igitur molestiis homines heroici vacabant, qui, quum regi parerent, non servi essent et quorum rex humanitatem non abiecisset! Quare ne illud quidem periculosum aut damnosum saluti omnium erat, quod nondum ita respublica legibus temperata erat, ut aliorum ius esset legum ferendarum, aliorum potestas exsequendi, quod decretum a iudicibus esset, aliorum potestas iurisdictionis. An non Ulixis regis praeclaram virtutem in eo maxime elucet, quod ita procos Penelopes tractat, ut eos accuset idemque in iudicium vocet et vindicet?[174])

Nunc ad elegantiam hominis Homerici — id quod in quarto loco quaerendi eius partis, quae est de summo bono, posuimus — explicandam veniamus. In quo commodissimum videtur a pulchritudine corporum proficisci. Nam quemadmodum carmina ceterorum poëtarum, ut ait Aeschylus,[175]) comparanda sunt cum frustis a mensis exstructis Homeri sumptis, sic nescio an qui

signa fabricati sunt, in quadam imitatione Homericorum deorum et hominum ita versati sint, ut quae poëta dicendo expressisset, marmore aut aere fingerent. Videlicet qui homines non aetatem egerunt domi aut intra parietes, sed serenitate coeli ad ita vivendum adiuti sunt, ut facultates ingenii non cum damno valetudinis excolerent, qui homines non tam ingenti magnitudine montium aut fluviorum tardati sunt, ut deterrerentur, quominus eos transirent, sed difficultates locorum expedientes alacres et fiduciae pleni facti sunt, eorum mentes non potuit fieri quin sanae in sano corpore essent ita, ut, quum de statu suo non deicerentur viribus consumptis ad victum parandum, auream quandam mediocritatem tenerent atque ad omnem usum cultumque vitae transferrent et ne otiantes quidem gravarentur iis in rebus versari, quae ad mentem exercendam et ad corporis formositatem mobilitatemque augendam utiles essent, in ludis perdiscendis volui dicere talibus, quales Phaeaces animi causa[176]) et alii faciebant. Hinc non modo venustas mulierum, sed etiam dignitas virorum. Qua pulchritudine hominem Homericum magnopere delectatum esse, multis locis evidenter declaratur.[177]) Ac quum omnes, tum homines Homerici, simulac non iam cura rerum ad vitam necessariarum pressi sunt, se et domum suam exornant et omni genere decoris laetantur. Loquor de ea voluptate, quae sensu videndi percipitur. Quid aures? num minus earum oblectamenta quam oculorum hominem Homericum permulcebant? Quare ad eas artes inveniendas, quarum postea Graeci optimi magistri exstiterunt, via patefacta est, quam sine dubio homo Homericus ita ingressus est, ut quae ipse inchoaverat perficienda posteris traderet. Pro incunabulis igitur omnium artium et literarum sunt ea ornamenta et delectamenta habenda, quibus homo Homericus domi bellique utebatur. Itaque nullam partem vitae plane expertem pulchritudinis esse sinebant ac non modo textis artificiosis vasisque aureis[178]) et ratione aedificandi vitae domesticae pulchriorem formam affingere incipiebant, sed etiam bella gerentes et cum hostibus congredientes magnificentia et splendore armorum alios superare aut ab aliis non vinci saltem volebant. Etenim quam quisque norit artem, in ea excercenda ne oculis quidem ut displiceat videtur optare, quod studium ita insitum naturae humanae est, ut vel per iocum in quendam virum doctissimum cadat, qui narratur, priusquam literis se abderet, induisse vestem nitidiorem. Neque igitur unquam Homerus eorum arma et tela, galeam, loricam, clipeum, ocreas, gladium, hastas describere non curat, quorum praeclare res gerendas narraturus est, inprimisque eos, qui singuli cum singulis pugnaturi sunt, armis aliis post alia se exornantes inducit.[179]) Quid? quod in scuto Achillis depingendo tam copiosus est, ut ea descriptione tamquam universitatem rerum complectatur?[180])

Et videte, quantum homo Homericus in singulis artibus profecerit. Quare quoniam omnes artes ad eam voluptatem pertinent, quae e rebus aut adspectis aut auditis capitur, primum considerandum est, quae fuerit ars fingendi, aedificandi, saltandi, tum qualis ars modos faciendi, poëticae, dicendi.

Nulla fere vestigia agnoscimus, quibus appareat, hominem Homericum signa fabricatum esse aut peritiorem fuisse architecturae. Nam quod canes aurei et argentei domum Alcinoi custodientes[181]) et adolescentes auro ficti, qui faces tenent,[182]) commemorantur, et quod Telemachus et Pisistratus regiam Menelai cum stupore quodam contemplantur[183]) et simili modo Alcinoi domus describitur,[184]) nescimus, quatenus eas res poëta cogitatione et ingenio depinxerit. Itemque incertum est, an cuius in Iliade signi Minervae mentio fieri videtur[185]) id commenticium sit. Saltandi autem arte, quae consistit in motibus corporis numero convenientibus, a nullo mortalium Phaeaces victos esse, Ulixes eo magis idoneus est, qui testetur,[186]) quod multas hominum urbes adiit.[187]) Iam ab arte modorum ita non alienus erat homo Homericus, ut cithara caneret. Nec tamen musicae exercendae operam

dedit, nisi ut carmina sociaret nervis et vocem fidibus iungeret. Itaque omnium liberalium artium plurimi aestimabatur ab homine Homerico poëtica, qua poëta effecit, ut non modo suavissima voluptate convivas afficeret, sed etiam optimi cuiusque animum incredibilem et mirandum in modum incitaret ad virtutem. Vates igitur nisi divino spiritu tactus esset canere non posse credebatur.[188]) Quare etiamsi hominis Homerici voluptas e carminibus recitatis capta saepissime haud magnopere differt a gaudio puerorum, fabulas fictas veras esse volentium, id quod ex eo apparet, quod novissimum quidque iucundissimum iis est,[189]) etiamsi ipse Ulixes non tam propter pulchritudinem carminum quam ideo, quod ipse interfuerit rebus a Demodoco celebratis, lacrimas tenere non potest[190]) — ipse enim quin sese commiseretur non retinetur, audiens, quae terra marique ipse perpessus sit[191]) — tamen hominem Homericum liberaliorem quandam delectationem et alienam a cupiditate omnique studio commodi e carminibus petiisse, ex eo intellegendum videtur, quod et vates divino quodam honore afficiebatur nec rudiores artis carminum condendorum Phemii et Demodoci erant, quam ut idonei habendi essent, ad quorum exemplum Homerus ipse se componeret. An putandum est, Achillem otium conterere potuisse in canendis ad citharam laudibus atque virtutibus clarorum virorum, nisi ea re ipsa delectatus esset?[192])

Age vero quae erat aut qualis in homine Homerico facultas dicendi? Si quisquam verbis non pepercit nec verbis faciendis ad agendum impeditus est, is certe fuit homo Homericus. Quid? nonne ita amans loquendi erat, ut nihil fere agere posset, quod non verbis complecteretur?[193]) non priusquam cum hoste pugnaret, alter cum altero sermonem contulit?[194]) non quisquis in proedio ceciderat, quam diu poterat, cum eo, a quo victus erat, collocutus est?[195]) Omitto dicere, quanta facundia fuerit Ulixes,[196]) quanta Nestor, cuius orationem dulciorem melle labris defluxisse ipse Homerus dicit;[197]) praetermittam illud etiam, totius Iliadis et totius Odysseae maiorem partem constare sermonibus et orationibus; non dicam ne illud quidem, nullam esse animi perturbationem, nullam cupiditatem, nullam alacritatem, nullam tristitiam, nullum denique genus affectionum, quae quidem illorum hominum propria esse potuerint, quae non dicendo expressa sint ab homine Homerico. Sed haec brevitatis causa relinquo omnia; tantum dico: nisi homo Homericus tam affabilis fuisset et tam libenter colloquendi copiam fecisset, non potuisse fieri, ut graeca lingua tantopere excoleretur. Et ipse homo Homericus neminem esse eruditum existimavit, nisi qui diserte et copiose dicere posset. Testis est Phoenix, Achillis praeceptor, quum dicit, a Peleo se admonitum esse, ut Achillem efficeret oratorem verborum actoremque rerum.[198])

Restat, ut doceam hominem Homericum eum fuisse, a quo nonnihil discere possimus. Quodsi non est, cur virtutem ullam ad imitandum nobis proponamus, qua ipsi sumus ornati, sequitur, ut non habeamus, quod hominem Homericum aemulemur, nisi ea habeat, quae nos habere cupiamus, non habeamus. Ex quo id consequens videtur esse, si hominem Homericum aptum existimemus, quem aliqua ex parte imitemur, nos credere, eum quibusdam bonis commendari, quae enitendum sit ut nos, si fieri possit, sequamur. Quae sunt ea bona, quibus homo Homericus utebatur? Pars ea, quae non iam fieri potest, ut nos quidem consequamur, pars ea, quae ne unquam perdamus, optandum est. Ac ne quis temere hoc a nobis dici existimet, ea bona breviter exponemus. Antiquissimorum igitur temporum homines facilius ad eam virtutem quae nihil aliud est quam ad summum perducta natura pervenerunt, quod nihil appetierunt nisi quod assequi poterant.[199]) At vero ii, qui nunc sunt, utpote quum ea sequantur, quae assequi nequeant, saepissime ne id quidem adipiscuntur, quod possunt. Quae igitur virtutes nunc aliae ab aliis coluntur, eas omnes ita non magistra philosophia, sed natura duce habuit homo Homericus, ut a quadam humanitate non abhorreret. Atque id latissime patet. Nam quum modum, qui videbatur ei ut homini retinendus,

transire nollet, nec quidquid agebat, ad sempitermum tempus referebat, nec si minus factis, at certe bona voluntate melior esse studebat, quam lex naturae ferret, nec iustitiae neglegens erat sperans fore, ut mortuus in benignitate dei conquiesceret, nec sevocabat mentem a sensibus, nec quem cursum rerum humanarum excogitaverat a necessitate fatali aut a lege et ordine naturae ne plane diversa esset timebat. Praeterea quae ad animi mentisque conformationem cognoscenda erant, non tam infinita aut varia erant, ut non a quovis ingenuo facile discerentur, quo factum est, ut non duo quasi genera essent hominum, unum eorum, qui in cogitatione vel in rerum contemplatione versarentur, alterum eorum, qui soli ad res gerendas apti essent, quippe non nimia cogitatione impediti ad agendum. Unde ortus est ille summus omnium consensus, qui ubicunque viget, singuli non possunt degenerare a virtute et bonis moribus, quo deficiente periculum est, ne vel optimus quisque ab aliorum consuetudine discedat et homo male singularis fiat neve respublica atque hominum societas dilabatur. Inprimisque duabus causis effectum est, ut idem omnes ad unum sentirent itaque sibi quisque item constaret, quarum una erat, quod nemo erat, quin eosdem deos adorandos esse putaret, quos omnes adorabant; altera, quod omnibus eosdem labores atque eadem pericula pro patria servanda suscipiendi potestas facta est, quum bellum Troianis inferrent. Quare et facilior erat hominis Homerici vitae agendae ratio, quum suo quisque loco nihil ageret, quod non ad omnium salutem et utilitatem pertineret nec festivitas cum ea dicacitate et ironia coniuncta erat, quae nescio quo pacto longius serpere solent, si homines suis rebus desperantes opinantur, se natos esse ad acumen ingenii ostentandum.

Quare vide ne homo Homericus imitatione dignus sit eatenus, quoad omnem virtutem ad rempublicam tuendam revocat, quoad conditione humana contentus est, quoad ea officia praestat, quae humanae naturae excellentiae et dignitati respondent. Sed tempora praeterita revocari non magis possunt quam quisquam, si quidem mens est sana, aetate corroborata repuerascere cupit. Neque igitur assentiendum est iis, qui desiderio Homericae humanitatis capti aequales accusant, quod eius expertes sint, sed opera danda, ut intellegamus,[200]) qui factum sit, ut hominibus, qui nunc sunt, gravius quoddam onus iniunctum sit, quam iis, qui heroicis temporibus fuerunt. Quod onus tantum est, ut quae nobis sunt expediendae difficultates ad vitam publicam et privatam conformandam, adiumenta et solatia postulent et requirant, quorum homo Homericus nullam habuit suspicionem. Quibus igitur nos quidem excruciamur doloribus, eorum medicina non petenda est aut ab homine Homerico aut ab Homero.

Nec tamen credimus unquam fore, ut carmina Homerica legi aut adhiberi ad pueros et adolescentes erudiendos desinantur. Quis enim est poëta, qui magis efficiat, ut quasi quandam pusillam expressamque imaginem humanae vitae et effictos mores nostros in alienis personis videre nobis videamur? quis est poëta, qui aetatem iuvenilem magis delectet quippe quasi iuvenilem aetatem generis humani ante oculos et animos proponens? quis est poëta, qui magis alliciat altitudine atque elatione orationis et ornatissimis optimisque versibus? Neque igitur quo uno fere copulantur inter se studia humaniora vinculo id leviter dirimendum est iis temporibus, quibus consensus omnium magis magisque ne pereat timendum est. Et quum nostrum Germanorum esse videatur, humanitatem veterum cum iis studiis, quae recentioribus temporibus vigent, in unum confundere, Homerus maxime idoneus est, qui iuventutis mentes ad virtutem fingat, cuius carmina lectitantes Graeci ipsi literarum initiis imbuti sunt. De antiquitate ipsa autem, ut conclusa mihi iam haec sit omnis disputatio, videtur nihil posse praeclarius dici, quam illud, ni fallor, Ciceronianum: antiquitas quo propius aberat ab ortu hoc melius quae erant vera cernebat.

Annotationes.

[1]) Libri secundi de republica argumentum in hac partitione positum est.
[2]) „Schiller's Briefe über die aesthetische Erziehung des Menschen" I. [3]) Sallust. Cat. 20.
[4]) „Schopenhauer, die Welt als Wille und Vorstellung, II., cap. 19 vom Primat des Willens im Selbstbewusstsein."
[5]) „Schiller, über Anmuth und Würde." Schiller's Werke in 12 Bdn. 1847, XI, S. 314.
[6]) κ, 303. cf. Lehrs, populäre Aufsätze pg. 216.
[7]) Ξ, 201, 246 cf. Lehrs, l. l. p. 261 sq. [8]) ε, 63 sq. [9]) ζ, 43 sq.
[10]) „Tierbeobachtung und Tierliebhaberei der alten Griechen. Vortrag von Eduard Kurtz, Leipzig, 1886." — „Kulturpflanzen und Haustiere in ihrem Übergang aus Asien von Victor Hehn."
[11]) ζ, 130. λ, 611. Ε, 782. [12]) Π, 161. [13]) Γ, 24. Α, 225. [14]) Ρ, 281. [15]) Θ, 306. [16]) ζ, 163.
[17]) H. Lotze, Geschichte der Aesthetik in Deutschland p. 621 sq.
[18]) γ, 236. [19]) Δ, 315. [20]) Lehrs, l. l. p. 111 sq. [21]) ψ, 547.
[22]) Determinatio est negatio, determinatum nihil positivi, sed tantum privationem existentiae eiusdem naturae, quae determinata concipitur, denotat. Spinoza, Epist. 41.
[23]) Σ, 399, 607. υ, 65. [24]) κ, 516. cf. W. Jordan, Homers Odyssee übs. u. erkl. pg. 519 sq.
[25]) Lehrs, l. l. pg. 118. [26]) Lehrs, l. l. pg. 84 sq.
[27]) Lehrs, l. l. pg. 156 sq. Compara epitheta deorum, quae sunt ἀθάνατοι καὶ ἀγήραοι, αἰὲν ἐόντες, ῥεῖα ζώοντες cum epithetis hominum, quae sunt θνητοί, μινυνθάδιοι, alia.
[28]) Α, 530. [29]) Ξ, 272 sq. [30]) Η, 58 sq. [31]) Υ, 32 sq. [32]) ε, 282 sq. [33]) Ι, 183. [34]) Π, 431.
[35]) Υ, 127. Ζ, 488. Σ, 465. Χ, 280. Ω, 85. [36]) Χ, 209. [37]) L. Feuerbach, Theogonie pg. 198.
[38]) Cic. divin. I, 55. [39]) Cic. fin. 2, 23; Diog. Laert. X, 89. [40]) „Ich musste also das Wissen aufheben, um zum Glauben Platz zu bekommen." Kant, Vorrede z. Kritik d. r. Vern. 2. Aufl. cf. E. Arnoldt, Metaphysik die Schutzwehr der Religion, Königsberg 1873. [41]) L. Feuerbach, l. l. pg. 38. [42]) W. Jordan, Odyssee übers. u. erkl. pg. 548. [43]) Lehrs, l. l. pg. 85. [44]) Schiller, 15. Br. üb. d. aesthet. Erzhg. [45]) Α, 603. α, 152. φ, 430. [46]) Α, 602. [46b]) cf. Lucian. θεῶν διάλογοι 13. [47]) Ο, 166. [48]) Η, 446 sq. De invidia Neptuni, quae quidem in eo cernitur, quod aegre fert Phaeacum prosperas navigationes, quibus hospites incolumes domum reducant, Lehrs tam praeclare l. l. 36 sq. disputavit, ut nihil addendum videatur. [49]) Υ, 22. [50]) Cic., Tuscul. V, 3. [51]) cf. Schiller's Gedicht das Ideal u. d. Leben. [52]) Itaque Plato offenditur iis, quae ut indigna diis ab Homero aliisque poetis narrantur, Euthyphron 6, de republ. II, 21 itemque Pindarus Olymp. 1, 35. [52b]) Feuerbach, l. l. pg. 117 sq., 132 sq., 139 sq., 165 sq., 179 sq. [53]) ε, 184. [54]) Ο, 36. [55]) Ξ, 271. [56]) β, 135. [57]) λ, 280. [58]) Ι, 566. [59]) ρ, 475. [60]) Γ, 276 sq. [61]) Γ, 380. [62]) Γ, 457. [63]) Δ, 13. [64]) Δ, 70. [64b]) cf. Gervinus Shakespeare II, pg. 562 sq. [65]) Sall. Cat. 51. [66]) Χ, 229 sq. [67]) φ, 108. α, 2. Ο, 432. Ζ, 133. cf. Lehrs, l. l. pg. 112. [68]) Ζ, 116. [69]) Ζ, 86. [70]) Π, 247, 252. [71]) Ω, 315. [72]) Η, 202. [73]) Α, 313, 315. [74]) Δ, 48. α, 66. [75]) π, 393 sq. cf. υ, 242. [76]) Schoemann, griech. Altertümer; Naegelsbach, homerische Theologie; homerische Realien von Friedreich; Heinrich Schmidt, Synonymik der griech. Sprache; Lehrs, l. l. pg. 304 sq. [77]) Π, 856. Χ, 362. Μ, 386. Υ, 406. γ, 455. [78]) H. Schmidt, l. l. III, pg. 623. [79]) Χ, 99 sq. [80]) Π, 3. Ω, 509 sq. δ, 185. π, 216. [81]) Sophocl. Trach. 1260 sq. cf. Feuerbach, l. l. pg. 207 sq.: „das ethische Schicksal." [82]) Σ, 115—120. [83]) Plat. Apol. 16. [84]) Cic. orat. I, 54. [85]) cf. Praeludien von W. Windelband, Freiburg i. B. 1884, pg. 86. [86]) Lehrs, l. l. pg. 12 sq. [87]) Γ, 156. [88]) ρ, 364. [89]) υ, 345 sq. [90]) Τ, 126, 130. [91]) Τ, 92. [92]) Ι, 502. [93]) Lehrs, l. l. pg. 417. [94]) Kant, Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft, dicit „dass in den Geheimnissen der höchsten Weisheit etwas sein möge, das nur Gott thun kann." [95]) Α, 194. [96]) Feuerbach, l. l. pg. 238 sq. [97]) Feuerbach, l. l. pg. 244. [98]) ο, 7. [99]) ν, 330 sq. cf. Feuerbach, l. l. pg. 40. [100]) W. Jordan, l. l. pg. 534. [100b]) Placet igitur haec uno exemplo probare. Qua in re explananda quod patrio sermone utar, non timeo ne offensionem habeat, quum ea, quae hominem Homericum quam maxime exhibeant ita se gerentem, ut eum quasi nostratem esse putemus, non melius enarranda esse videantur quam lingua vernacula.

Wie Telemach mündig wird.

(Vergl. W. Jordan, das Kunstgesetz Homers u. d. Rhapsodik, Frankfurt a. M. 1869. pg. 50 sq.)

Wenn wir den Telemach im Anfang der Odyssee genauer beobachten, so finden wir, dass er nach dem Urteil der Personen, mit welchen er in Berührung kommt, plötzlich ein anderer geworden ist und die Unmündigkeit des Knaben abgelegt hat. Es fragt sich, wie der Dichter es angefangen hat, uns diesen Vorgang erklärlich zu machen, ohne dass es uns unnatürlich erscheint. Wie finden wir Telemach zunächst? Die Freier sitzen vor dem Hause auf den Rinderhäuten, mit Brettspiel sich unterhaltend; schon seit mehreren Jahren haben sie das Haus des Odysseus zum Schauplatz ihres wüsten Treibens gemacht und dessen Eigentum in schwelgerischen Gelagen verzehrt. Telemach befindet sich unter ihnen, aber in kummervoller, gedrückter Stimmung; er gedenkt seines edlen Vaters und wünscht, dass derselbe heimkehre, um dieser Schmach ein Ende zu machen. Und dieses leidende Verhalten hat Telemach bisher den Freiern gegenüber immer gezeigt, wie es ja auch seinem Alter und seiner Unmündigkeit ganz entsprach. Denn wäre es anders gewesen, so hätten die Freier sicherlich nicht bis zu diesem Grade in ihrem Übermut und ihrer Nichtachtung fremder Rechte gehen können; auch schliessen wir auf Telemachs frühere Nachsicht und bisheriges Gewährenlassen aus dem Erstaunen, das diese bekunden, als er urplötzlich in entschiedener Rede ihnen später Vorwürfe macht und ihr frevelhaftes Benehmen schilt.

Ganz anders ist das Betragen des Telemach, nachdem ihn Athene, die in Gestalt des Taphierfürsten Mentes auf Ithaka einen Besuch abstattet, verlassen hat. Nicht allein dass er sich des entschiedenen und treffenden Wortes gegen seine Mutter in etwas kecker Weise und gegen die Freier mit dem vollen Selbstgefühl eines in seinen heiligsten Gefühlen verletzten Menschen mächtig zeigt, er schreitet von dem Worte zur That und entpuppt sich vor unseren Augen aus einem in leerem Sehnen und mutloser Bekümmernis sich verzehrenden Knaben zu einem jungen Manne, der ganz der Abstammung von Odysseus würdig erscheint. Was er thut, ist unter den Umständen, unter denen er es beginnt, das zweckmässigste; es wird offenbar, dass die Festigkeit seines Willens nicht der Überlegung ermangelt, und dass er wie ein zum vollen Besitze seines Verstandes herangereifter Mann über das, was ihm obliegt, ehe er es ausführt, genau nachgedacht hat. Zunächst beruft er eine Versammlung der Achäer und beklagt sich vor ihr über das von den Freiern seinem Hause zugefügte Unrecht. Dabei weiss er das Rechte auf durchaus würdige Art vorzutragen. Er erregt zuerst das allgemeine Mitleid bei allen nicht in die Art der Freier einstimmenden Männern, indem er sich vor ihnen als den ohnmächtigen Sohn des einst so milde in Ithaka als König herrschenden Odysseus hinstellt. Er habe den Vater so gut wie verloren. Jetzt aber treffe ihn noch schlimmeres. Denn sein Haus werde von den Freiern, denen es doch zukäme, in das des Ikarios zu gehen, täglich beraubt. Mit Berufung auf Odysseus, der solches um die Bewohner von Ithaka nicht verdient, sowie auf den Zorn der Götter, bittet er jene, nicht länger dieses Treiben der Freier zu dulden. Dem gleissnerischen Antinoos antwortet er auf dessen Zumutung, die Mutter aus dem Hause zu weisen, dass ihm als Sohne das nicht gezieme; denn es würde ein solches Verfahren nicht nur üble Nachrede bei den Menschen, sondern auch die Strafe der Götter nach sich ziehen. Da seine Aufforderung an die Freier, sein Hab und Gut nicht länger zu verprassen, weder bei ihnen selber noch bei den übrigen Erfolg hat, so bittet er in der Versammlung, ihm wenigstens ein Schiff auszurüsten; denn er kann die Ungewissheit über das Schicksal seines Vaters nicht länger ertragen und will sich in Pylos und Sparta Kunde darüber verschaffen, um damit die sichere Grundlage eines ferneren bestimmten Handelns zu gewinnen. Aber auch diese Bitte wird ihm versagt, und die Versammlung geht auseinander, ohne dass er etwas erreicht hat, ja, er muss sogar den Spott der Freier vernehmen, welche nicht glauben wollen, dass er das Herz hat, in die Fremde zu gehen. Da fängt der edle Jüngling an zu zagen, und nur im Gebet an die Göttin, die er sich gewogen glaubt, findet er den Mut wieder, seinen Vorsatz auszuführen. Der Zuspruch der nun in Gestalt des Mentor ihm erscheinenden Athene richtet ihn vollends auf, und da diese ihm ein Schiff mit Mannschaft in Aussicht stellt, so rüstet er sich zur Abfahrt, nachdem er den Freiern, von dem Mute beseelt, mit dem ihn seine gute Sache erfüllt, in völliger Aufrichtigkeit, wie sie dem bei aller Mündigkeit immer noch unerfahrenen Jünglinge so ganz natürlich ist, seine Absichten mitgeteilt hat. Höchst verständig ist es dabei noch, dass er die Schaffnerin Eurykleia schwören lässt, seiner

Mutter nicht eher von seiner Abfahrt zu sagen, als bis der elfte oder zwölfte Tag gekommen oder sie selbst ihn vermisse; denn er fürchtet, dass sie, wenn sie von seinem Beginnen wüsste, sich nur vergebens ihr schönes Gesicht verweinen werde. Er ist also entschlossen, sich auch durch die Mutter nicht abhalten zu lassen; er besorgt aber vielleicht auch, von ihr weich gemacht zu werden, und er hofft wol, dass die längste Zeit seiner Abwesenheit vorüber sein werde, wenn sie von seiner Fahrt erst zu der von ihm bestimmten Zeit erfährt. Wir lassen nun den mutigen Jüngling mit Mentor und den übrigen Genossen ziehen, überzeugt, dass er auch in der Fremde sich wohl zu benehmen wissen werde, nachdem er so unzweideutige Proben von Verstand und Entschlossenheit gegeben hat, und wenn wir auch nicht annehmen können, dass er in der Ferne überall sogleich die angemessenste Art der Rede und des Benehmens treffen und ohne Zagen und Bangen sich in einer Zeit, in der eine solche Reise viel mehr bedeuten will, als heutzutage, im Umgange mit ihm ganz fremden Menschen bewegen wird, so hoffen wir doch mit gutem Rechte, dass der Geist der Athene auch ferner auf ihm ruhen, und dass die Mündigkeit, zu der wir ihn in unverkennbarster Weise haben gelangen sehen, sich an ihm auch in den schwierigsten Verhältnissen bewähren wird.

Darüber ist kein Zweifel: Telemach war nicht schon mündig bei Beginn der Odyssee, er ist es erst geworden, und wir werden nun noch zu sehen haben, w i e er es geworden ist. Offenbar bildet den Wendepunkt in seinem Leben das Erscheinen des Gastes. Wollen wir also das Mündigwerden des Telemach erklären, so müssen wir daraus seine Umwandlung abzuleiten versuchen. Es sind die Verse 118—323 des 1. Buches, die wir in's Auge zu fassen haben.

Schon dass ein Gast überhaupt erscheint, verhilft dem Jünglinge zum ersten Male zu einem gewissen Selbstgefühl. Er hat den Gast zu bewillkommnen und der Sitte gemäss aufzunehmen. Trefflich hat der Dichter es vorbereitet, dass die Worte der Athene in eine empfängliche Seele fallen müssen, und dass mit dem Scheiden derselben der Sohn des Hauses zum vollen Gefühle der ihm zustehenden Rolle gekommen ist. Ganz beherrschen ihn schon zweierlei Vorstellungen, auf deren Macht Athene nur zu bauen braucht, um ihn auf den rechten Weg zu bringen; es ist einmal die Empfindung des unwürdigen Treibens der Freier und dann die bange Ungewissheit über das Geschick seines Vaters. Eben weil Telemach ganz voll davon ist, betrachtet er den Gast von Anfang an mit den Augen eines jungen Mannes, der von demselben Aufschluss über das Verbleiben des Vaters und Mitgefühl für das, was sein Herz angesichts des frechen Benehmens der Freier beklemmt, verlangt, ja, sogar beides bei ihm voraussetzt, wozu nicht wenig beiträgt der Umstand, dass Athene als väterlicher Gastfreund von vorn herein das grösste Vertrauen in ihm erweckt. Darum sondert er sich von Anfang mit dem Gaste von dem Lärm der Freier ab, darum unterhält er sich mit ihm, während die andern auf den Gesang des Phemios lauschen. So kann er sich denn auch nicht enthalten, nachdem der Gast gegessen und getrunken, noch bevor er ihn nach seiner Heimath und dem Zwecke seiner Reise fragt, ihm sein Herz auszuschütten, ihm mitzuteilen, was ihn drückt, wie ihm das wüste Treiben der Freier zuwider ist, und wie er die Hoffnung auf die Heimkehr des Vaters fast aufgegeben hat. Athene-Mentes aber nimmt ihn ganz dadurch für sich ein, dass er sich ihm als väterlicher Gastfreund vorstellt, dass er sogar Bescheid weiss über die Familienangelegenheiten des Telemach bis auf die genaue Bekanntschaft mit der Lebensweise des alten Laertes. Aber noch mehr erregt die Rede des Gastes alle Gefühle hoffnungsvollen Mutes und frischer Lebenslust in dem Herzen des gebeugten Jünglings durch die frohe und ahnungsvolle Zuversicht, mit der er ihn erfüllt, indem er die Rückkehr des Odysseus ihm als höchst glaubhaft darstellt, und als er nun von der grossen Ähnlichkeit des Telemach mit seinem Vater spricht und dadurch den Stolz des jungen Mannes weckt, so kann es nicht fehlen, dass sich in dem Sohne der Wunsch regt, auch in That und Wort in die Fusstapfen eines so herrlichen Erzeugers zu treten. Und die Gelegenheit dazu soll sich ja gleich ihm darbieten; denn als ächter Sohn eines solchen Vaters kann er es unmöglich länger ruhig ansehen, wie die übermütigen Freier sein Hab und Gut verschlingen und so thun, als ob das Haus des Odysseus gar keinen Herrn oder keinen Stellvertreter desselben mehr habe. Denn der Gast teilt ganz seinen Unwillen über das Gebahren der Freier, νεμεσσήσαιτό κεν ἀνὴρ αἴσχεα πόλλ' ορόων, ὅστις πινυτός γε μετέλθοι — mit diesem Flammenwort muss sie in dem Telemach den letzten Rest von Bedenken tilgen, und ihn zu dem Entschluss entzünden, endlich nicht mehr

zu dulden, was er nur zu lange lammfromm mitangesehen hat. Konnte nämlich Telemach bis dahin noch zweifelhaft darüber sein, ob er unwürdiges sich gefallen lasse, so sieht er nun auch mit den Augen eines unbefangenen Dritten die Schmach, die ihm und den seinigen angethan wird, an. Nichts aber ist so sehr geeignet, unsere Gefühle zu steigern, als wenn ein anderer sie teilt, und besonders ein Jüngling in der Lage des Telemach muss durch solche Übereinstimmung, die er bei einem älteren und reiferen Manne findet, so sehr bestärkt werden in seinem Urteil, dass ihn nun nichts mehr abhalten kann, auch rücksichtslos seinem gekränkten Herzen Luft zu machen, wie wir es bald darauf denn auch vernehmen.

Wir könnten hier unsere Aufgabe als erledigt betrachten, wenn es nicht eben darauf ankäme die Frage zu beantworten, ob der Dichter die Umwandlnng des Telemach allein auf wunderbare Weise dargestellt hat, oder ob nicht vielmehr die doppelte Erscheinung der Athene in der Person des Mentes und des Mentor auch so aufgefasst werden kann, als ob die Vorgänge, in denen sich dieses Mündigwerden des Telemach vollzieht, ganz den natürlichen Gesetzen der menschlichen Seele gemäss verlaufen. Sollte das letztere der Fall sein, dann „würde das Wunder der Sage dem Homer keineswegs als ein fauler Knecht, als eine Bequemlichkeitsbrücke gedient haben, die ihn mühelos hinweggeführt hätte über die eigentliche Aufgabe des Poeten, die Motivierung.“ Gegeben war allerdings in der Mythe dem Dichter der ausserhalb aller naturgemässen Erscheinungen liegende Zug, dass Athene vom Olymp zweimal herabkommt, um dem Sohne des von ihr beschützten Odysseus gleichfalls zur Seite zu stehen. Kommt doch Athene in Gestalt des Mentor nach Ithaka auf das ausdrückliche Gebet des Telemach. Aber wie wir sonst sehen, dass der Dichter die Götter nur Symbole menschlicher Gedanken und Entschliessungen sein lässt, ohne dass er die Götter deshalb an Lebensfülle wirklicher Gestalten etwas einbüssen lässt, so finden wir auch hier, dass sich Alles auf ganz natürliche Art erklärt, und dass die psychologische Rücksicht auf die uns allen als denkenden Menschen geläufigen Beweggründe keineswegs zu kurz kommt. Sehen wir nämlich ganz davon ab, dass Athene hinter der Gestalt des Mentes und des Mentor verborgen ist, halten wir nur daran fest, dass das erste Mal der Taphierfürst zum Besuch bei Telemach erscheint, und dass dann der alte Freund des erlauchten Odysseus, dem dieser bei der Abreise sein Haus zur Bewachung anvertraut hat, dem Telemach zu einem Schiffe verhilft, und denken wir uns dann, dass Telemach unter dem Beistand dieser väterlichen Freunde zum Bewusstsein dessen gelangt, was für ihn Pflicht ist, so schwindet alles Wunderbare in dem Sinne, in welchem dieses gegen die Naturgesetze verstösst, und doch bleibt in der Umwandlung des Telemach nichts unerklärliches oder geheimnisvolles übrig, zu dessen Aufhellung wir die Göttermaschinerie in Bewegung setzen müssten. So scheint denn für unseren weisen Dichter das Göttliche nicht in dem zu liegen, was wider die Natur ist, sondern im Inneren des Menschen und in dem, was dieser den sich ihm darbietenden Umständen zu seinem Heil abzugewinnen weiss. Indem der Dichter den Telemach allerdings nicht lediglich aus eigener Kraft mündig werden lässt, sondern unter Hinzutritt von wolgesinnten Menschen, die zur rechten Zeit sich ihm nahen, stärkt er den Glauben an die Tüchtigkeit des Menschen selbst wie an eine höhere Leitung der menschlichen Geschicke, ohne dass er zu handgreiflichen Abweichungen von dem natürlichen Laufe der Dinge seine Zuflucht nimmt, und es ist somit von Homer dafür gesorgt, dass wir die Freude an seiner Schöpfung nicht mit der unserem Wissen und Denken widerstrebenden Anerkennung einer Aufhebung und Unterbrechung des natürlichen Geschehens erkaufen dürfen.

[101]) λ, 489. [102]) λ, 563. [103]) Aen. I, 26. [104]) Lehrs, l. l. pg. 304. [105]) δ, 563. [106]) Lehrs, l. l. pg. 307. [107]) Α, 4. [108]) Ρ, 446. [109]) Agam. 164. [110]) Σ, 107. [111]) υ, 201 sq. [112]) Il. I, 80, 216. II, 24, 196, 204. III, 64, 108. IV, 235, 320. V, 531. VI, 146, 207, 261, 487. VII, 282, VIII, 139. IX, 312, 496. X, 67, 224. XI, 793, 801. XII, 243, 322. XIII, 115, 237, 729, 787. XV, 203, 490. XVI, 630, 688. XVII, 32, 98, 446. XVIII, 107, 117, 328. XX, 131, 242, 248. XXI, 106. XXII, 71. XXIII, 670. XXIV, 49, 301, 524. — Od. I, 32, 152, 281, 392. II, 276. III, 23, 48, 146, 231, 236. IV, 195, 206, 236, 397, 752. V, 103. VI, 182, 188, 207. VII, 51, 216, 294, 307, 310. VIII, 147, 167, 207, 329, 351, 479, 546, 585. IX, 5, 34, 106, 270. X, 72. XI, 379, 427, 464. XIII, 213, XIV, 55, 85, 156, 283, 444. XV, 19, 343, 374, 393, 400, 420.

XVI, 160, 211, 294. XVII, 176, 189, 217, 286, 320, 347. XVIII, 130, 141, XIX, 118, 328, 360, 591. XX, 75, 195, 201. XXI, 293. XXII, 318, 411. 113) Lehrs, l. l. pg. 264. 114) M, 243. 115) Lehrs, l. l. pg. 38. 116) Γ, 365. 117) I, 122. Σ, 507. Ψ, 269. 118) β, 75. 119) α, 277. σ, 276. Z, 394. Σ, 593. 120) ϑ, 479. 121) Λ, 514. 122) ϑ, 159 sq. 123) I, 328. 124) ο, 99 sq. 125) I, 120. 126) τ, 395 sq. 127) σ, 276 sq. 128) δ, 80 sq. ξ, 323. 129) Γ, 93. 130) Ψ, 86. 131) ο, 275. 132) I, 633. 133) ξ, 182. 134) δ, 12. 135) λ, 427. 136) ϑ, 266 sq. 137) χ, 465 sq. 138) ρ, 322. 139) ο, 413. 140) ξ, 140. 141) υ, 204. 142) Rousseau, contrat social, livre III, chap. 15: Pour vous, peuples modernes, vous n'avez point d'esclaves, mais vous l'êtes; vous payez leur liberté de la vôtre. 143) Lael. 18. 144) α, 187. δ, 171 sq. Z, 233. K, 242. 145) λ, 52. 146) Ψ, 258 sq. 147) Lehrs, l. l. pg. 59. N, 122. 148) A, 611 149) η, 347. 150) Ω, 130. 151) Ξ, 346. 152) Γ, 447. 153) „Sobald mir Einer merken lässt, dass ihm in poetischen Darstellungen irgend etwas näher anliegt, als die innere Nothwendigkeit und Wahrheit, so gebe ich ihn auf." Schiller an Goethe Br. v. 1. März 1795. 154) Ξ, 215. 155) I, 312. 156) ϑ, 147. 157) Herodot. VIII. 26. 158) α, 350. υ, 330. Z, 451. N, 122. cf. Lehrs, l. l. pg. 56, 96. 159) Δ, 259, 345. ν, 8. 160) α, 338. — Itaque non assentior W. Jordan dicenti in praefatione Odysseae in linguam germanicam conversae pg. XXI, sq., appellationes Homericas tam multiplices fuisse, ut difficile esset, eas in Germanicum semonem transferre. Sed ut ita se haberet, ut vir doctissimus affirmat, num ideo infirmantur atque tolluntur, quae ego de honoribus disputavi, quibus heroicis temporibus ingenui homines aucti essent? 161) ι, 115. 162) Π, 387. 163) Thucyd. I, 9. 164) cf. William Shakespeare von K. Elze, Halle, 1876: pg, 540 sq. 165) B, 204. 166) I, 119, T, 86. 167) B, 110 sq. I, 17 sq. 168) Epist. I, 2, 14. 169) β, 10. Σ, 497. 170) A, 26 sq. 171) A, 85. 172) I, 32 sq. 173) A, 167. 174) χ, 5 sq. 175) Aeschylus suas quidem tragoedias τεμάχη Homerica esse dixisse traditur. 176) ϑ, 126 sq. 177) ζ, 160. 232 sq. Γ, 156 sq. 178) cf. τ, 226 sq. δ, 125. γ, 63. Λ, 632. 179) Γ, 328. H, 206. Λ, 17 sq. Π, 130. T, 369. 180) Σ, 478 sq. 181) η, 90. 182) η, 100. 183) δ, 43. 184) η, 84. 185) Z, 92, 273. 186) ϑ, 265. 187) α, 3. 188) ϑ, 44, 480, 488. ρ, 518. 189) α, 352. 190) ϑ, 86. 191) cf. Schopenhauer, Welt als Wille u. Vorstellung I, pg. 445 (2. Auflage.) 192) I, 189. 193) Qua in re quam dissimiles sint Nibelungi, Gervinus dicere non omisit. 194) E, 276 sq. H, 225 sq. Y, 178 sq. X, 250 sq. 195) Π, 844. X, 388 sq. 196) Γ, 222. 197) A, 249. 198) I, 443, cf. Cic. de Oratore III, 15. 199) Goethe, Shakespeare und kein Ende: „— alle Helden des dichterischen Altertums wollen nur das, was Menschen möglich ist, und daher entspringt das schöne Gleichgewicht zwischen Wollen, Sollen und Vollbringen — —" 200) cf. Spinoza, Eth. III, praefat. Tract. Polit. c 1, § 4.

